


PH 1053

.C37

1844









ELEMENTA

GRAMMATICES SYRJAENAE.

CONSCRIPSIT

M. A. CASTRÉN.

HELSINGFORSIAE.

Ex officina typographica heredum Simelii.

1844.

PH 053
C 37

12 - JUN 13
COP 1957

1844

Imprimatur.

N. A. GYLDÉN.

Praefatio.

Peregrinantes in terra Samojedarum Archangelica, eo in primis consilio, ut indagaremus affinitatem quandam inter gentes Finnicas et Samojedicas, cito animadvertisimus, affinitatem illam adeo esse remotam, ut tantummodo studio diversarum Finnicae stirpis linguarum clare posset perspici atque ostendi. Ex variis caassis duximus, linguas Syrjaenam et Ostjacensem nostrae disquisitioni admodum prodesse, quare earum cognitionem comparare nobis proposuimus. Linguam vero Syrjaenam discendi optima nobis fuit occasio, quoniam ad limites Samojedicae regionis multae inveniuntur coloniae Syrjaenorū. Qui ad superiorem partem fluminis Petschorae habitant incolae, omnes Syrjaeno utuntur sermone. Überrima vero colonia sua fixit domicilia ad ripas fluvii *Ishmae* vel *Ishvae*, in Petschoram se exhaustentis. Heic nobis morari contigit tempore praeterlapsi anni vernali, quando nix liquescens et soluti rivi profisci vetant in terra Samojedica, quae praeterea fere deserta est ab incolis, se maturius procul ad mare conferentibus. Adveniente aestate coacti fuimus gen-

tem Syrjaenam relinquere, properantes ad graviora nobis injuncta officia persolvenda. Quod de lingua Syrjaena duorum mensium intervallo discere potuimus, postea sub itinere in cymbis, tuguriis, tentoriis conscripsimus. In re ipsa positum, libellum nostrum, in his temporis atque loci angustiis ortum, nihil perfecti, nihil consummati offerre. Nos juvabit subsidium quoddam litteris Syrjaenis tulisse aliisque hujus linguae studiosis ansam ulterius progrediendi praebuisse. Quod in hodierna litterarum Syrjaenarum conditione pauperrima parvo labore efficere potuimus. Quae litterae in sequentibus continentur libris.

1. Зырянская Грамматика. Сочинилъ А. Флоровъ. Въ Санктпетербургѣ 1813. Pagg. 44 in 8:o.
2. Versio Evangelii Matthaei, titulo: Міянъ Господъмёнъ Іисусъ Христосъмёнъ святої Эвангеліе Машоейсянъ. Санктпетербургъ 1823. Pagg. 92. in 8:o.
3. Versio libelli: Наспавленіе о прививаніи предохранительной оспы. Petrop. 1815. Pagg. 16 in 8:o.
4. Ueber den Grammaticischen Bau der Sürjänischen Sprache mit Rücksicht auf die Finnische, von A. J. Sjögrén. Pagg. 21 in 4:o. Disquisitio impressa est in actis Academiae Petropolitanae a. 1830.

5. **Grundzüge der Sürjänischen Grammatik von H. C. v. d. Gabelentz.** Altenburg 1841. Pagg. 78 in 8:o.

Ex libris allatis Grammatica, sub nomine Flerovii edita, adeo est manea, vitiis obruta et ab ingenio linguae abhorrens, ut magis confundat rem, quam illustret. Sjögrén primus veram ostendit indeolem linguae et indicavit viam, qua tractanda est Grammatica Syrjaena. Hac demum via Gabelentz sua rededit "elementa linguae Syrjaenae," quae in se continent, quidquid est egregii in operibus antecedentibus, praecipueque in versione Evangelii Matthaei. Haec versio, ob formalem suam praestantiam jure laudata, nimia facta est anxietate. Interpres unumquodque vocabulum ad verba textus Slavonici accommodare studens, saepe ingenium linguae violavit. Quod vero ab eo peccatum est, Gabelentz non potuit evitare. Cujus tamen Grammatica magis est manea, quam vittiosa, nisi manea eujusvis operis indoles pro vitio habenda sit. Sed de hoc vitio nobis saltem loqui non decet, quoniam libellus noster eidem judicio obnoxius est. Ubi valuimus, ibi rem prolixius tractavimus; de cetero leges e genio linguae haurire studuimus et omnia ad typum genuinum referre conatus sumus. Quantum vero a nobis proiecta sit materia, alii judieent.

Speravimus etiam fore, ut cognitionem linguae Syrjaenae promoveremus nova illa Ishemicia dia-

lecto, quam tractavimus. Syrjaena lingua a Sjögrén divisa est in quattuor dialectos: Uدوریکام, Uستسولیکام, superiorem Vyitschegdicam et Jarensem, quarum tres postremum commemoratae ad unam referuntur classem. Sjögrén Ishemicam nostram dialectum cum Uدوریکا congruere censem. Quae tamen e testimonio Syrjaenorum propriam habet indolem, maximeque convenit cum dialecto Jarensi, in primis ea illius specie, quae in usu est ad rivum *Glotovam*, unde primi coloni ad flumen Ishmam emigrasse narrantur. Differentia vero harum omnium dialectorum magis tangit realem linguac partem (vocabula), quam formalem (Grammaticam), quae, quantum auxilio operum antecedentium de hac re judicare licet, maxime posita est in terminatione vocabulorum. Omnes linguac Finnicæ duplē ex indole vocalium trunci primitus permiserunt finem in flexione vocabulorum. Syrjacna vero lingua stabilem sibi jam ubique formavit finem: vel per ö (ä), vel per y (i). Uدوریکa dialectus amat ö, Uستسولیکa et sine dubio confines duae dialecti sumunt in aliis locis ö, in aliis ä, Ishemicae vero semper in fine et flexione vocabulorum placet littera ä. Pro y accipiunt in Praeterito Indicat. i Uدوریکa et Ishemic dialecti. Sed omissa differentia dialectorum, quae in compendio grammatico minoris est momenti, Ishemic dialectus ideo vel maxime laudanda est, quod multa servavit, quae in aliis dialectis amissa sunt. Adest totum systema suf-

fixorum personalium, adsunt variae formae verborum atque nominum, quae in aliis dialectis vel non inveniuntur, vel saltem a Grammaticis non sunt observata. Multa praeterea, in aliis dialectis incerta, ope Ishemicae dialecti explicari et ad universas leges revocari possunt. — Praestantia dialecti caussa fuit vel gravissima, quae nos commovit ad hunc libellum conscribendum.

Respeximus adhuc affinitatem linguae Syrjaenae cum Finnica et Lapponica, quae, quondam negata, a cel. viro Sjögrén evoluta est, ratione habita universae linguarum structurae, formae, ideae. Sed affinitas ista non est solum formalis vel idealis; appareat simul in re, in affinibus vocabulis, similibus casuum atque temporum finibus, in formis derivatis e. s. p. Nos quoque realem linguarum affinitatem innuere studuimus et in primis hanc ob caussam additum est in fine per breve vocabularium. Quattuor capita Matthaei, sumta e versione supra allata, commutavimus e genio dialecti Ishemicae, ut hujus indolem clarius ostenderemus. Ex quibus etiam videre licet, qualis sit hodierna, valde depravata structura linguae syntactica, quam Grammaticae partem omittere coacti sumus.

Consummato nostro opusculo, aliquas adhuc de lingua Syrjaena ejusque cum Finnica affinitate nobis facere contigit animadversiones, quarum heic gravissimae tantum memorandae sunt:

1. Adest in lingua Syrjaena sonus dentalis, qui medium tenens inter sibilantia Russica: *c* et *z* bene convenit cum *s* leni in dialecto Finnorum Nylandica, ex. gr. *messä*, silva, Gen. *mesän*; *vissa*, virga, Gen. *visan*. Exempla praebent in lingua Syrjaena: *doos*, corbis, *kosa*, reverto. Qui tamen sonus in lingua Syrjaena fere evanuit, locum cedens litteris *z* et *s*.
2. Ad pronomina demonstrativa referuntur in §. 62. *sya*, ille et *etaja* vel *taja*, iste. Occurrit adhuc pron. demonstr. *etya*, iste, Plur. *enya* (?), quod de objecto valde remoto dicitur et declinatur ut *etaja*, ex. gr. Dat. *etyly*, Illat. *etyä*, Ablat. 1. *etylys* e. s. p.
3. De formatione casuum horumque cum Finnicis affinitate addendum est:
 - a) *Terminativi* finem *edzj* convenire cum particula Finnica *asti*, usque ad.
 - b) *Allativum* in lingua Finnica simul vim *Consecutivi* continere, ex. gr. *meni veelle*, ivit ad aquam l. aquam allatum. Unde colligere licet, aut in lingua Finnica *Allativum* et *Consecutivum* ob similitudinem finium in unum casum confluisse, aut in Syrjaena e *Dativo* novum *Consecutivi* casum ortum fuisse.
 - c) *Allativum* in *lanj* et *Ablativum* 2. in *sänj* optime deduci posse e *Consecutivo* et *Elativo*, compositis cum fine *ni*, qui sine dubio ejusdem ori-

ginis est, ac in lingua Estonica particula *ni*, et in Finnica terminatio *ne*, ex. gr. *kunne*, quo, *tänne*, *huc e. s. p.*

4. Mutatio litterae *l* in *v* (cfr. §. 12) occurrit quoque in linguae Finnicae dialecto Savonica, ex. gr. *ei ouk*, deest, pro *ei ole*. Pronuntiatio litterarum *u* et *v* eadem fere est in utraque lingua, *k* vero ut sola adspiratio valet in sermone Savonum duriori.
5. Licet quantitas linguae Syrjaenae in universum bene distinguitur, interdum tamen observavimus, litteram *z* postulare, ut vocalis antecedens, vel si brevis sit, sono productiori efferatur.
6. Pluralem primitus in *ǟs* exivisse, probat non solum terminatio adjectivornm *ǟsj*, in qua littera *j* a genuina linguae indole abhorret, sed etiam nom. subst. *purtǟs*, forceps, quod plurale est, formatum a *purt*, culter, ut in lingua Russica vocabulum: *ножницы*, forceps, e *ножъ*, culter, ortum est.
7. *Caritivus* in *tǟgja* vocalem *ä* in *e* non mutat, quae aberratio a regula etiam in multis aliis locis accidit, ubi duae sequentes consonantes ad diversas syllabas referri possunt.

In Grammatica nostra imprimenda saepe absentes et aegrotantes, ne in formam quidem operis tantam curam conferre potuimus, quantam et lectori debuissemus, et nobismet ipsis et in primis Imperiali

VIII

Academiae Petropolitanae, quae hunc libellum dimidio praemii Demidoffiani coronavit suoque sumtu in lucem edidit. Multa occurunt heic vitia, quae a lectore observanda sunt, ne in errorem ducatur. Ita post vocalem aliquando scribitur *i* pro *j*, ex. gr. *pojka*, *zej*, *myj*; pro *v* autem *w*, ex. gr. *wyy*, *wööla*, *wöly* e. s. p. Quod vero gravius est, interdum alternant in exprimendo sono *ej* litterae *c*, *c'*, *ej*, ex. gr. *sec'äm*, *secedzj*, *secje'* (v. §. 98), quae conformitatis caussa eodem modo scribendae sunt, licet ipse sonus in sermone vulgari admodum vacillet. Maxime tamen dolendum est, notam' inopia aptiorum signorum ad litteras dentales (*s'*, *z'*, *c'*) exprimendas fuisse adhibitam, quod vero nobis absentibus et invitatis factum est. Ipsa res eo non confunditur, quoniam apostrophe a nobis post consonantes numquam ad elisionem indicandam usitatur, sed contextus hoc signo maxime deformatur. Ista typorum inopia quoque fuit caussa, cur in vocabulis aliunde sumtis litterae Russicae *x* et *m̄* per *ch* et *s'c'* expressae sint. Cetera vitia, quae observavimus, infra afferenda sunt.

Dabam Helsingforsiae die II. Septembris anno
1844.

M. A. Castrén.

I. De Litteris.

A. Litterae simplices et compositae.

§. 1.

Litterae linguae Syracnae his exprimi possunt signis:

Vocales:

a, e, i, o, u, y, ä, ö,

Consonantes:

Labiales: b, v, m, p,

Linguaes: d, l, t, n,

Palatinac: j, g, k, r.

Dentales: { z, z', s, s', c, c'

vel

Sibilantes: { dz, dz', ds, ds', dc, dc'.

§. 2.

Litterae *ch* (Russ. x) et *s'c'* (щ) occurunt tantummodo in vocabulis e lingua Russica sumtis; *f* in uno adest vocabulo: *fetelj*, nassa piscatoria reticulata (R. *мережа*); *h* auditur in fine casus Illativi et aliquando in Nominativo post ultimam vocalem nominum in primis dissyllaborum, quae interdum hac sua adspiratione separantur a verborum 1:a persona sing. Praesentis Ind. Act., ex. gr. *pemda*, tenebrae, *pemda*, tenebresco. Eadem est differentia primae atque adspiratae tertiae personae Praet. Indicat.; attamen lingua peculiarem litteram in his locis non permittit, quoniam adspiratio illa in flexione negligitur, ex. gr. *pemda'*, Illat. *pemdaä'*; *sjyl'i*, 3. pers. pl. *sjylinys*: non *pemdahäh*, *sjylihnys*, ut conformitas postularet.

§. 3.

Vocales *a*, *e*, *i*, *o*, *u* pronuntiantur ut in lingua Finnica; *y* in dialecto saltem Ishemica sonat ut Russicum *ы*, saepe inclinans in *e*; *ö* valde latum habet sonum, in primis animadvertendum in *ö* longo; *ä* vero pressius pronuntiatur, quam in lingua Finnica, saepeque confunditur cum *e* in flexione, ubi ceterae dialecti *ö* scribunt.

§. 4.

Ex consonis litterae labiales, linguales et pala-

tinae eandem habent pronuntiationem in lingua Syrjaena, atque in Germanico sermone, excepta littera *l*, quae ad modum linguae Russicae vel dure pronuntiatur, vel ante *j* valde mollem tenet sonum. Sibilantes pronuntiantur modo Russico: *z* ut *z*, *z'* ut *ж*, *s* ut *c*, *s'* ut *ш*, *c* ut *ц*, *c'* ut *Ч*, *dz* ut *з*, *dz'* ut *ж* etc. Animadvertisendum vero, sibilantem *s* initio vocabuli in brevi syllaba sonare ut *ss*, ex. gr. *ssjom*, *squama*, Finn. *suomu*; *ssjornita*, *loquor*, Finn. *saarnaan*; *ssjo centum*, Finn. *sata*; *ssya*, *ille*, Finn. *se*; sed in hac ratione Ishemicia dialectus non est admundum constans.

Obs. Litterae sibilantes *c*, *c'*, *dz*, *dz'*, *ds*, *ds'*, *dc*, *dc'* consistunt ex duobus ad diversa organa loquendi pertinentibus sonis, et ponendum, omnes saltem eum media littera *d* complicitas sibilantes re vera compositione ortas esse. Notum est, ceteras Finnicas linguas non modo non amare litteras sibilantes, sed etiam mediis omnino carere. In lingua Lapponica mediae quidem inveniuntur, sed sono incerto, eum tenuium saepe permixto. Ubi purum habent medialem sonum, ibi primitus ad radicem non pertinent, sed postea ortae sunt ad alias consonantes adsirmandas. Sic adsirialis *s* et *s'* lingua Lapponica accepit sibilantes *ds* et *ds'*. Linguam Syrjaenam eodem modo suas accepisse sibilantes, medium litteram *d* continentes, apparet 1) comparatione affinium linguarum, ex. gr. *ydz'yd* magnus, Finn. *iso*; *vodcja*, contra, Finn. *vastaan*; *ds'udz'yd*, profundus, Finn. *syvä*; 2) ex eo, quod littera *d*, conuenientibus eonsonis pluribus, facile evanescit, ex. gr. *udz'jeza*,

obligatus, uz'da, mutuum sumo; jedz'yd, albus, jez'da,
albesco; vidzeda, specto, vizla, subito adspicio.

§. 5.

Ut littera *d* praesigitur dentalibus ad pronuntiationem adfirmandam, ita etiam contra genium linguae primarium, concursum plurium consonantium non permittentem, lingualibus et dentalibus affigitur littera *j* ad elocutionem emolliendam; ex. gr. *djin, tjös, ljok, njanj, kuzj, sjöd, vaz'ja, cjunj, dzjölyja, udz'jes* etc. Pronuntiatio *j* consonantis in hac compositione est celerrima et interdum adeo fugilis, ut cum praecedenti emollita consonanti, in primis littera *l*, confluere audiatur.

§. 6.

Omnes omnino Finnicae linguae summa gaudent copia vocalium diphthongarum, et in Syrjaena, licet vi Russicae linguae nonnullas amisisse videatur, restant saltem sequentes: ai, ei, oi, ui, yi, öi, ae, ie, ea, ia, oa, ua, ya, ää, iä, oä, uä, yä, uo, io, uö.

B. De mutatione litterarum.

a. *Mutatio vocalium.*

§. 7.

Ad illustrandam mutationem vocalium in lingua Syrjaena, haec antea animadvertenda sunt:

1) Vocales trunei interioris in universum non commutantur in linguis Finnicis, omnes vero mutationes fiunt in fine, ut docent exempla: *menen*, *eo*, *menin*, *ivi*, *menevää*, *iens*; *meno*, *itus*, Gen. *menon*, Adess. *menolla*, Iness. *menossa*; *lähden*, *abeo*, *lähdin*, *abivi*, *lähtevä*, *abiens*, *lähtö*, *abitus*, gen. *lähdön*, Adess. *lähdöllä*, Iness. *lähdössä*. Alia est ratio linguarum Sarmaticae originis, in quibus vocales trunei mutantur, *sed ipse finis immutatus manet*; ex. gr. *Sprechen*, *sprach*, *gesprochen*, *loqui*; *nehmen*, *nahm*, *genommen*, *capere*; *der Mann*, *vir*, Pl. *die Männer*; *das Buch*, *liber*, Pl. *die Bücher*; *gut*, *bonus*, *die Güte* bonitas. Ejusmodi mutationes omnino abhorrent a genio linguarum Finnicarum, quae in trunco finali solum vocalem commutare solent, ex. gr. *jalka*, *pes*, Instr. Plur. *jaloin*; *kynttilä*, *candela*, Inf. Plur. *kynttilötä*; *kivi*, *lapis*, Gen. *kiven* e. s. p.

2) In linguis Sarmaticis pendet mutatio vocalium trunei e vocalibus finis, qui semper immutatus est. In ipsa vero Finnia lingua, ubi vocales in trunco immutabiles sunt, illae regunt finem, eidem ex indole vocalium trunci tribuentes vel duram terminationem (a, o, u) vel mollem (ä, ö, y). Durae vocales trunei duram postulant terminationem, molles mollem; ex. gr. *katto*, *tectum*, Adess. *katolla*; *pöytä*, *mensa*, Adess. *pöydällä*. Ea lex sine dubio primitus quoque valuit in lingua Syrjaena et adhuc in eeteris dialectis ex aliqua

parte valere dicitur. In dialecto Ishemica emortua est. Heic saepissime immutatus manet truncus interior, immutatus finis, qui per litteras molles ä (ö, in tertium e) et y formatur. Mutationi praecipue obnoxia est tam in Syrjaena, quam in Finnica lingua finalis trunci vocalis (v. obs. 1).

3) In Syrjaena, aequae ac in Finnica lingua multa, et forsitan omnia nunc in consonantem desinentia vocabula primitus in vocalem exiverunt. Ad leges de mutatione vocalium vere perspicendas necessarium esset, non tantummodo amissam illam trunci vocalem, sed etiam vocales finium genuinas, jam valde permutas (v. obs. 2) cognoscere. Quae cum unius saltem dialecti ope pervestigari non possint, nos tantum ostendere conabimur, quo modo et in quibus gravissimis locis vocales secundum praesentem linguae indolem permутentur, ratione habita dialecti Ishemicæ.

§. 8.

Hae igitur sunt mutationes vocalium frequentissimæ:

A) Littera a mutatur in ä: 1:o) in forma verborum effectiva, ex. gr. *sadma*, *expergiscor*, *sadmäda*, *expergefacio*; *kusa*, *extinguor*, *kusäda*, *extinguo*;

vöipa, loquer, *vöipäda*, loqui facio; *töda*, scio, *tödäda*, scire facio. 2:o) In tertia persona Sing. et Plur. Praes. Indicativi, in secunda pers. Plur. Imperativi, in Part. Passivi et nomine acto; ex. gr. *karä*, facit, *karänys*, faciunt, *karä*, facite, *karäma*, factus, *karäm*, factum, e radice *kara*, facio; 3:o) In nominibus quibusdam, quae sine dubio derivata sunt e verbis primitus in ä desinentibus; ex. gr. *pöta*, satior, *pötäsa*, satitus; *murtala* (ex amissa radice *murtä*), metior, *murtäs*, mensura, *murtäsa*, mensuram habens. Alia vero his similia nomina continent a, ex. gr. *maita*, ungo, *maitas*, unguentum; *doma*, sarcio, *domas*, sartuae laeinia; et conjicere licet, litteram a heic primitus ad verbum pertinere.

B) *A* in i commutatur in Pract. Indicat., ex. gr. *muna*, eo, *muni*, ivi.

C) *A* transit in y in 2:da pers. Sing. Imperat. in Infinitivo, Gerundio et Particípio.

D) Ä evadit a in casibus Illativi et Instructivi, statu suffixi, ex. gr. *kerka'am*, *kerka'ad*, *kerka'as*, in meum, tuum, ejus domum, a Nominalivo *kerka*, Illat. *kerkaä*, in domum; *kerkajasam*, in meas domos, a Nom. Plur. *kerkajas*, Illat. *kerkajasä*; Instr. *kinam*, mea manu, *purtiad*, tuo cultro, e Nominat. *ki*, *purt*, Instr. *kiän*, *purtän*.

E) Ä mutatur in *e*: 1:o ante positionem; ex. gr. *veläda*, doceo, Dim. *veledla*; *kara*, facio, Effect. *käräda*, Dim. *karedla*; *kypäda*, tollo, Pass. *kypedeja*; *bergäda*, voluto, Pass. *bergedcja*; *gögräs*, votundus, *gögressja*, circumdor; 2:o post *j* consonam, ex. gr. *adzje*, videt, non *adzjä*; *pin*, dens, Instr. *pinjen*; *cjunj*, digitus, Illat. *cjunje'*.

F) Y in dialecto Ishemica mutatur in *u*:
 1:o) in forma suffixiva Elativi, conversis litteris finalibus et ante *u* addita *j* consona; ex. gr. *kiys* e manu, *kisjum*, e mea manu; *kijasys*, e manibus, *kijasjum*, e meis manibus. Aliae dialecti scribunt *kisy*m vel *kisim*, *kijassym* l. *kijassim*, et ipsa Ishemica dialectus resumit suum *y* in ceteris personis, ex. gr. *kisjyd*, *kisjys*, e tua, ejus manu. 2:o) Eodem modo mutat Ishemica dialectus *y* in *u* in suffixis primae personae Plur. per omnes casus; ex gr. Nom. *purlnum*, noster culter, *purtjasnum*, nostri cultri, Illat. *purlanum* in nostrum cultrum, Elat. *purljasjunum*, e nostris cultris; sed in ceteris personis servatur *y*, ex. gr. Nom. *purlnyd*, *purlnys*, vester, illorum culter, Illat. *purlanyd*, *purlnys*, in vestrum, illorum cultrum etc.

G) I contra genium linguae fit *e* in *vit*, quinque, *vetyymyn* (*vilömys*, Flerow), ut etiam *o* et *e* ad formam linguae Russicae alternant in *njolj*, quatuor, *njeljaamyn*, quadraginta.

H) Aliquando alternant *y* et *i*; ex. gr. *koknyd* vel *koknid*, facilis, *vösnyd* l. *vösnid*, tenuis e. s. p.

I) Interdum mutatur *j* in *y*; ex. gr. *vidzja*, custudio, Pass. *vicysja* (v. infra), et vice versa *y* in *j*, ex. gr. *asy*, mane, *asja*, matutinus; *ködzyd*, frigidus, *köjdoo*, frigidulus (*ködzydo*, *ködzjdoo*, et abjecta ob concursum consonantium littera composita *dz*: *köjdoo*).

K) Vocalis *i* aliquando mutatur in consonantem *j*; ex. gr. *öni*, nuper, *önja*, nuperus.

§. 9.

Haud raro *eliduntur* vocales non tantum in fine, sed etiam in medio ipso vocabulo; ex. gr. *gogyn*, runcina, *gognala*, runcino; *toman*, sera, *tommala*, sera claudio; *vugyr*, hamus pescatorius, *vugrala*, hamo pisces (vide §. 84); *sjökyd*, gravis, *sjökydaa* l. *sjöktaa*, grave; *myykyd*, prudens, *myykydaa* l. *myyktaa*, prudenter; *ydz'yd*, magnus, *ydz'ydo* l. *yz'doo*, aliquantum magnus; *dz'enyd*, brevis, *dzendoo*, aliq. brevis.

§. 10.

In fine syllabae diphthongus *oä* *contrahi* solet in *oo*; ex. gr. *woä* l. *woo*, venit; *loä* l. *loo*, fit, *woänys* l. *woony*s, veniunt.

b. Mutatio consonantium.**§. 11.**

Communis est omnibus omnino Finnicis linguis, Syrjaena non excepta, ea lex, ut duae consonantes in eadem syllaba una consistere non possint. Ad hanc legem servandam abjicitur saepe ex duabus concurrentibus consonis ultima syllabae consona; ex. gr. *c'apka*, prehendo, freq. *c'aplala*; *myska*, lavo, Pass. *myssja*: *muös*, vacca (pr. *muöske*), Illat. *muöskü*, Iness. *muösbyn*; *is*, odor, *iska*, odorosus; *jen*, Deus (pr. *jenni*), Elat. *jenmys* e. s. p. Aliquando eliditur antecedens consona; ex. gr. *dz'udz'yd*, profundus, altus, *dz'uz'da'*, profunditas, altitudo, *ydz'yd*, magnus, *yz'da'*, magnitudo. Quod si ex concurrentibus in fine consonis *una* fuerit liquida, in primis littera *r*, ambae servari solent, ex. gr. *bord*, ala, *gort*, fovea, *pors*, sus, *görd*, ruber e. s. p.

§. 12.

Si syllaba quaedam exiverit in *l* (primitus *ly*), praecedente quavis vocali, littera *l* in aliis dialectis servatur, in aliis vero mutatur in *w*, quod *w* in dialecto Ishemicā cum vocali antecedente in longam contrahitur; ex. gr. *kyy* (primitus *kyly*, *kyl*, *kyw*), lingua, Finn. *kieli*; *töö* (pr. *töly*, *töl*, *töw*), ventus, hiems,

Finn. *tuuli*, *talvi*; *soo* (pr. *soly*, *sol*, *sow*) sal, Finn. *suola*; *pöö* (pr. *pöly*, *pöl*, *pöw*), trabes, latus, dimidium, Finn. *puoli*; *uu* (pr. *uly*, *ul*, *uw*), quod infra est, Finn. *ala*; *uusa* l. *ulysa*, inferior, Finn. *alanen*; *wyysa* l. *wylysa*, superior, Finn. *ylinen*; *tuusoo* (pr. *tulysoly*), vernus, diminut. e *tulys*, ver. Antecedens *a* cum *w* contrahitur in *oo*; ex. gr. *wistala*, dieo, Imperat. *vistoo*, dic (pr. *wistaly*, *vistal*, *vistaw*); *lögala*, iraseor, Imperat. *lögoo* (pr. *lägaly*, *lägal*, *lägaw*) e. s. p. Talis contractio non permittitur post voealem longam; ex. gr. *wööla*, saepe sum, Imperat. *wööly*, non *wöö'ö*.

§. 13.

Adest in lingua Finnica lex quaedam universa, cardinalis, qua litterae tenues *k*, *p*, *t*, in brevi syllaba, exeunte in consonantem, vel abjiciuntur vel emolliuntur. Eadem lex in aliis quoque Finnieis linguis, in Lapponica saltem et Esthonica, pervestigari potest; quare ponendum, eam primitus etiam in lingua Syrjaena valuisse. Iam vero genuinam adeo mutavit naturam, ut tantum nonnulla vocabula manserint, quae de lege testimonium afferant. Talia sunt: *pela*, exeo, *petkäda* effero; *pota*, pungor, *potkäda*, pingo, macto, et nonnulla alia formantia esse etiam verbi formam, addita littera *k*. Quae formatio non explicanda est nisi supposita radiee, continentе litteram *k* (*petka*, *potka*). Ea vero clapsa est ideo, quod

1:a persona Praesentis in *m* primitus exivit et *k* incepit brevem in consonantem exeuntem syllabam. Eodem modo explicanda est mutatio consonantium in vocabulis: *usja*, cado, *uskäda*, cadere facio; *os'ka*, laudo, *os'jysja*^{*)} (formatum ab Imperat. *ös'ky*), glorior, in quibus littera *k* vel abjecta est et *j* addita lenioris elocutionis caussa, vel etiam emollita ad modum linguae Finnicae; ex. gr. *särkeä*, contundere, Praes. *särjen*. Allata exempla attingunt tantummodo litteram *k*; mutationis litterarum *t* et *p* nulla adsunt vestigia.

§. 14.

Ex indole linguae Syrjaenae mediae post tenues sequi non possunt. Quod si acciderit in vocabuli flexione, derivatione, compositione vel alia qvavis mutatione, media in tenuem transire solet; ex. gr. *sjökyd*, gravis, *sjökydaa* l. *sjöktaa*, grave, *sjökta*, (pr. *sjökda*), gravor; *metkä*, nota Imperativi, composita a *med* et encl. *kä*, c. s. p. Idem valet de litteris dentalibus, quae cum tenuibus compositae sunt; ex. gr. *läc'yd*, acutus, *läc'ta* (pr. *läc'da*), acuo. Aliquando etiam transit antecedens tenuis in medium, ex. gr. *ljok*, malus, *ljogdz'yk*, pejor.

^{*)} Animadvertisendum est, tenuem litteram *k* post *s* et *t* nunquam in Finnica lingua elabi; tanta vero anxietate affinitas linguarum admodum diversarum non est pervestiganda.

§. 15.

Inter dentales littera *s* his praecipue obnoxia est mutationibus: 1:o Post longam vocalem amat transire in *z*; ex. gr. *Loo*, spiritus, *loozja*, vivus reddor; *pola*, timeo (Imper. *poo*), Pass. *poozja*. Forma Passiva alias exit in *-sja* ex. gr. *s'ua*, nomino, Pass. *s'usja*. 2:o Post *d*, *t* et aliquando post *j* transit *s* in *c*; ex. gr. *topäda*, firmo, Pass. *topedeja*, firmor; *dasäda*, praepero, *dasedeja*, praeparor; *ejukarta*, colligo, *ejukarteja*, colligor; *kolja*, relinqu, *kolcja*, relinquor.

§. 16.

In fine nominum, quae exeunt in vocalem, interdum auditur adspiratio valde acuta. Illa, ut via comparativa enucleari potest, saepe originem debet litterae *s*, in adspirationem mutatae; ex. gr. *wo'* (*woh*), annus, Finn. *wuosi*; *ma'*, mel, Finn. *mesi*; *wa'*, aqua, Finn. *vesi*; *ki'*, manus, Finn. *käsi*, e. s. p. Aliquando adspiratio, in fine audienda, orta esse videtur e littera *k*, ex. gr. *ju'*, flumen, Finn. *joki*. In ipsa Finnica lingua littera *h* affinis est litteris *k* et *s*.

§. 17.

Comparativa etiam via appareat affinitas litterae *t* cum *s* (cfr. §. 25: 11 et §. 26), et *m* cum *n*; ex. gr.

kyn, frigidus, Finn. *kylmä* (*kylm*, *kym*, *kyn*); *sin*, oculus Finn. *silmä* (*silm*, *sim*, *sin*), *anj*, uxor, Finn. *vaimo* e. s. p.

§. 18.

Haud raro injicitur *j* consona tam in Syrjaena, quam in Finnia lingua, ad mitigandam elocutionem: 1:o inter duas vocales, ex. gr. *uu*, ramus, *uijes* (pro *uuäs*), ramosus; *pi* filius, Plur. *pijan*; *vijin*, caecidisti (pro *vi'in*); 2:o post consonantes linguales et dentales, v. §. 5.

§. 19.

Ut in lingua Lapponica, ita etiam in Syrjaena litterae *j* et *v* interdum usurpantur pleonastice initio vocabulorum, cum vocali incipientium; ex. gr. *jyy* l. *vyy*, superum, et *yy* l. *yly*, quod jam significat remotum aliquid, Finn. *yli*; Lapp. *jem*, acus sutoris, Finn. *äimä*; *voj*, nox, Finn. *yö*; *vodzj*, anticum, Finn. *esi*; *völi*, fui, Finn. *oli*; *völtar*, altare e. s. p.

§. 20.

Inter consonantes aliquando alternant: 1:o *d* et *g*, ex. gr. *peljdjin*, l. *peljgin*, gena, auris vicinitas; 2:o *s* et *s'*, ex. gr. *njulys'ta* l. *njulysta*, semel lingo; 3:o *c*, *c'*, *cj* (v. praef. pag. VIII); 4:o *dz* et *tc*, ex. gr. *vidzsja* l. *vitecysja*, servor.

§. 21.

Litterae quoque convertuntur, ex. gr. *arkma* pro *karma*, fio; *jubirny* l. *jurbitny*, praeccari; *veit*, tectum, *vetja*, tego (cfr. §. 60, obs. 1).

III. De accentu et quantitate.

§. 22.

Accentus linguae Syrjaenae, ut aliarum linguarum ejusdem originis, cadit in syllabas impares: primam, tertiam, quintam e. s. p.; in primam fortius, in alias vero adeo molliter, ut auri vix capiatur. Nonnulla, disyllabica nomina, desinentia in vocalem, amittunt vim accentus in prima syllaba ob nimis acutam in secunda adspirationem. Haec sola sua adspiratione distinguuntur a verbis in prima persona Praesentis Indicativi; ex. gr. *pemda'*, *tenebrac*, *pemda*, *tenebresco*; *jugda'*, *claritas*, *jugda*, *claresco*; *sjöktä'*, *gravitas*, *sjöktä*, *gravor* (cfr. §. 2).

§. 23.

Quantitas linguae Syrjaenae non est tam lenis et incerta, quam linguae Lapponicae, sed clara et distincta, ut linguae Finnicæ. Occurit frequentissi-

me in prima verbi syllaba; ubi aliquando in ceteris invenitur, semper contractione orta esse esse videtur. Quod idem de lingua Finnica valet.

III. De Nominе.

A. Nomen Substantivum.

§. 24.

Omnes omnino linguae Finnicae originis carent genere, sed varietate casuum abundant. Casibus non solum indicant *actionem*, quae notio in lingua Syrjaena inest Nominativo, Genitivo, Dativo, Accusativo, Infinitivo, Ablativo II, Instructivo, atque *statum* (conditionem), casibus Essivo, Factivo et Caritivo expressum, sed etiam varias *loci* relationes, quae in aliis linguis praepositionibus reddi solent, at in Finnicis ipsaque Syrjaena casibus Allativo et Illativo, Adessivo et Inessivo, Ablativo I, Elativo, Consecutivo et Prosecutivo.

Obs. Linguae Finnicae praepositionibus carent; cum autem causus numquam sufficere possint ad infinitas loci relationes exauriendas, provectioni linguae et rationis cultu postpositiones ortae sunt e casibus nominum. Multae quidem postpositiones casualem suam vim fere amiserunt, et usitantur aequae abstracte ac in aliis linguis praepositiones. Sed propria sua vi postpositiones semper sunt casus no-

minum, et oriri possunt e quoconque nomine substantivo ad exprimendas rei rationes modo intuitivo. Ita ex. gr. effatum illud: *sedet ad mensam* redditur hac ambage: *sedet ad marginem mensae, istuu pöydän vieressä* Finn., *Pysan doryn* Syrj. — Ex intuitiva illa postpositionum natura sequitur, eas aptissime rationes loci exprimere. Sunt quidem postpositiones, quae relationes rerum abstractarum indicent, semper vero sunt a nominibus formatae et quandom habent propriam vim, quae praepositionibus deest.

§. 25.

Casus in lingua Syrjaena sunt sequentes:

1. Nominativus continet truncum nominis, qui primitus in vocalem exivit, jam vero variis modis commutatus est.

2. Genitivus proprio caret fine et exprimitur vel Nominativo, ex. gr. *pu kyrs*, arboris cortex, vel Adessivo, ex. gr. *adzja pulän kyrs*, video corticem arboris (ad arborem), vel Elativo, ex. gr. *pulys kyrs kulji*, corticem arboris (ab arbore) abstuli. Linguis etiam Lapponicae Esthonicaeque propria deest Genitivi terminatio, sed vestigia adhuc restant, probantia his linguis quondam fuisse casum Genitivi et quidem in *n* exeuntem, ut in Finnica lingua. Fieri potest, ut iste casus etiam in lingua Syrjaena olim fuerit, et nobis quidem credibile videtur, **Adessivum** esse

ortum e terminatione *la* vel *lä* (ut Adessivus in lingua Finnica finitur), adfixa eidem Genitivi terminatione — *n*. Primarium suum Genitivum abjecit lingua, quoniam terminatio illius eadem fuit ac Instructivi, quam ob caussam lingua Finnica Instructivum fere amisit in Singulari numero.

3. Accusativus nec in Finnica, nec in Lapponica lingua propria gaudet terminatione, sed redditur vel Nominativo vel Genitivo (in Sing. num.), vel Infinitivo. Accusativus in lingua Syrjaena Nominativo compensari solet. Sed nomina vivifica, quae in consonantem exeunt, proprium habent Accusativi finem *-ä^s* (*-ös*) †) in Sing. et Plur. numero. Qui finis sine dubio ortus est e forma suffixiva Accusati primae personae, quae eodem modo sonat *).

4. Instructivi finis est *-än* (*-ön*), ex. gr.

†) Signo * indicamus differentiam in variis dialectis.

*) In dialecto Ishemica suffixa frequenter usitantur. Suffixum quidem tertiae personae saepe omittitur in caeteris casibus, in Accusativo vero servari solet. Quod si aliquando negligitur, Accusativus absolute usitatur, nulla ratione habita personae; ex. gr. *adzja mortäs*, video hominem. Dicunt etiam in prima persona: *adzja meam mortäs*, video meum hominem; non vero dici potest: *adzja tead mortäs* (pro *morttä*), *bosti sya purtäs* (pro *purtä*), video tuum hominem, cepi eius cultrum: ex quo evidenter sequitur finem *-ä^s* primitus fuisse suffixum primae

mortän homine, purlän cultro. Eadem est terminatio Instructivi in linguis Finnica et Lapponica, omissa littera copulativa, quae, in Syrjaena lingua certa atque constans, in his ab ultima trunci vocali pendet. Instructivo compensatur, ut in Russica, casus Essivus.

5. Caritivus exit in *-täg* (* *-tög*) vel *-täggja*, Lapp. *tagha*, Finn. *-lla*, *-lah*, *-tak*, Esth. *ta*; ex gr. *njanjtäg* vel *njanjtäggja*, sine pane; *kerkatäg* sive *kerkatäggja*, sine domo.

6. Dativus in *ly* primitus sine dubio Allativus fuit, et adhuc pro Illativo nunquam usitatur, jam vero solam Dativi notionem reddit; ex gr. *Jenly* Deo, *mortly* homini. Terminatio *-ly* respondet ad Allativum *-le* in lingua non tantum Finnica, sed etiam Estonica et Lapponica. Littera *l* est nota omnium omnino casuum loci exteriorum (Allativi, Adessivi, Ablativi, Consecutivi); *e* finale in Syrjaena lingua solet mutari in *y*.

7. Allativus, significans motum *ad*, *versus* locum, exprimitur fine *-lanj*, qui est linguae Syr-

personae. Linguam eo modo usurpasse formam suffixivam ad notionem Accusativi reddendam facile intelligitur ex eo, quod suffixa in lingua Syrjaena suam amiserint vim genuinam, nunc tantum indicantia formam nominum finitam.

jaenae proprius; ex. gr. *jaglanj*, ad (versus) sylvam (къ лѣсу), *morjelanj*, ad mare, *tilanj*, ad insulam, *mortlanj*, ad hominem. Mutata primarii Allativi significatione, novus iste casus videtur esse profectus e Consecutivo in *-la*.

8. **Illativus**, indicans motum in locum (intiorem partem), exit in *-ä'* (*—ö'*); ex. gr. *mortä'*, in hominem, *kerkaä'*, in domum. **Adspiratio** in fine, quae propter suam aceritatem per *h* exprimi posset, format quoque in lingua Finnica Illativum, qui jam exit in *hän*, primitus vero exivit in *-h*, quae terminatio adhuc servata est in dialecto Russo-Carellica; ex. gr. *kulkku*, guttur, Illat. *kulkkuh*; *wenehe*, cymba, Illat. *wenekeh*. Illativo compensatur in lingua Syrjaena etiam **Factivus**; ex. gr. *kiä' karis*, fecit (ad) manum, Finn. *teki kädeksi*.

9. **Adessivus** exit in *-läñ* (*—löñ*), denotans:

1. **Quietem** in exteriori parte loci, ex. gr. *pulän vyijym kyrs*, ad arborem (arbori) est cortex; *mortläñ vyijym kerka*, homini est domus. Eandem possidendi et simul adhaerendi notionem **Adessivus** quoque habet in lingua Finnica, ex. gr. *puulla on kuori*, *ihmisellä on huonet*; sed in Syrjaena lingua **Adessivus** vix occurrit pura et genuina sua vi, semper vero redi solet postpositionibus.

2. **Genitivum**, notione possidendi, ex. gr.

kuc'län poz, aquilae nidus; *kerkalän wejt*, tectum domus, v. supra.

10. **Inessivus** utitur sine *-yn*, qui bene congruit cum **Essivo -na** in linguis Finnica atque Esthonica, et adhuc melius cum **Essivi** terminatione *-n* in Lapponica lingua. Finale *a* elapsum est et *y* littera copulativa. **Essivus** etiam in lingua Finnica saepe gaudet vi casus **Inessivi**, i. e. quietis in loco (interiori); ex. gr. *istuu kotona l. koissa*, sedet domi, **Syrj.** *gortyn pukalä*.

11. **Ablativus 1.** exit in *-lys* (Finn. *-lta*, Esth. *-lt*, Lapp. *-ld*), ubi rursus littera characteristica casuum loci exteriorum agnoscitur. **Y** est vocalis copulativa, *s* vero ortum *e t*, ut in Nominat. Plurali (cfr. §. 3). **Ablativus 1.** ab aliis denominatus est **Possessivus**, quoniam aliquando adhibetur ad Genitivum compensandum. Cujus tamen vis non possessiva est, sed *e contrario* privativa; ex. gr. *pulys uu kerali*, secui ramum arboris (ab arbore); *vokällys paskäm bosti*, cepi vestes fratris mei (a fratre meo). Quod **Gabelentz** assert de eadem notione **Ablativi 1.** et **Adessivi**, haud valet in dialecto Ishemica, quamvis etiam heic **Ablativi** vis genuina jam non reperiatur nisi in singulis quibusdam effatis; ex. gr. *korny ajlys*, orare a patre, Finn. *pyytää isältä*; *jualis nylys*, interrogavit ab illis, Finn. *kysy nültä* (vide **Gab.** pag. 56).

12. Ablativo 2. subjici solet notio caussae l. originis, nulla ratione habita loci externi vel interni. **Abl. 2.** exit in *-sänj*, (*-seänj*, *-sjanj*) et videtur ortus fuisse ab Elativo, eodem fere modo ac Allativus a Consecutivo. Ex. gr. *Jensänj*, a Deo; *voksänj*, a fratre; *musänj*, a terra.

13. Elativus, motum e loco (interiori) indicans, exit in *-ys*, cuius cum terminatione Elativi in lingua Finnica (*-sta*) et Lapponica (*-st*) affinitas elucet e lege, duas consonantes in fine syllabae non permittente. Ex. gr. *vays*, ex aqua; *juys*, e flumine; *keräsys*, de vico.

14. Consecutivus in *-la*, linguae Syrjaenae proprius, et terminatione sua, litteram *l* continente, et significatione ad casus loci exteriores referendus est. Significat enim motum ad locum, scil. aliquid exinde allatum; ex. gr. *wala muni*, ivit aquam allatum, Russ. за водою.

15. Prosecutivus, indicans motum *juxta*, *secundum*, *praeter* locum, exit vel in *-äd* (*—öd*) vel in postpositionibus et adverbiis potius in *-ti*. Idem casus adest in lingua Finnica, exiens in *-tte*, *-tteh*, *-tse*. Hic sine dubio fuit primarius Transitivi finis in lingua quoque Syrjaena; sed *e* vel mutatum est in *i*, vel transpositis litteris, in *ä*; ex. gr. *muäd*, secundum terram, *vomäd*, secundum (per) os.

16. **Terminativus** in *-edzj*, designat motum usque ad locum (ad loci terminum); ex. gr. *karedzj muni*, ivi usque ad urbem.

Obs. 1. **Vocativum** statuit *Sjögren* in *-ö* (*-e*), *Gabelentz* vero rejectit, hanc litteram pro sola interjectione tenens. Ishemica dialectus ostendit vocalem *-ö* (heic *-ä*) esse suffixum primae personae Nominativi.

Obs. 2. Ex his, quae in praecedenti paragrapho breviter de easibus allata sunt, apparet, eos in lingua Finnica et Syrjaena summa affinitate esse conjunctos. Eadem est casuum idea et indoles, eadem illorum vis, et ipsi sines tam sunt affines, quam fere in diversis linguis esse possunt.

§. 26.

Pluralis in Nominativo exit in *-jas*, primitus *äs*, in quo sine litterae *ä* vis sola vocalis copulativa inest, *s* autem bene congruit cum fine Plur. numeri in lingua Lapponica *h*, nec non Finnica *t*. Ceteri casus eodem modo in Plurali formantur numero, ac Singulare.

a) **Declinatio nominum.**

§. 27.

Nomina Syrjaena, aequa ac Finnica, Lapponica, Esthonica, in Nominativo amisisse ultimam truncum vocalem jam supra animadvertisimus. Saepissime amissa est vocalis *i*, vel immediate, vel mutata antea

in *j* (b), quae quidem littera saepe revertitur in ceteris casibus, mitigans & sequens in *e*. Post duas consonantes in multis etiam nominibus elapsa est ultima quaedam vocalis, quam ob caussam posterior consonantium abjicitur in Nominativo. — Multa adhuc nomina consonantem *l* in Nominativo amiserunt. Quibus respectis, duae in lingua Syrjaena nascuntur declinationes, altera *regularis*, altera *irregularis*. In illa truncus per omnes casus manet immutatus, qualis in Nominativo fuit; in hac vero quidam casus novam accipiunt consonam.

Obs. Linguae Finnicae periti facile intelligunt, hanc distributionem haud esse aliam, ac in Grammatica Finnia Vhaelianam illam divisionem nominum in *Parisyllabica* et *Imparisyllabica*, ex quibus haec unam vel plures litteras, in Nominativo amissas, in ceteris casibus recipiunt.

§. 28.

Hic est typus ambabus Declinationibus communis :

<i>Singularis.</i>	<i>Pluralis.</i>
Nom. Voc. l. Cons.	Nom. - <i>jas</i> .
Gen. — — 1. <i>län</i> (* <i>lös</i>), <i>lys</i> .	Gen. — 1. - <i>jaslän</i> (* <i>jas-lön</i>), - <i>jaslys</i> .
Accus. — — 1. <i>äs</i> , (* <i>ös</i>).	Accus. — 1. - <i>jasäs</i> .
Instr. - <i>än</i> (* <i>ön</i>).	Instr. - <i>jasän</i> (* <i>jasön</i>).
Carit. - <i>täg</i> 1. (* <i>tög</i>), - <i>tägja</i> .	Carit. - <i>jastäg</i> (* <i>jastög</i>), - <i>jastägja</i> .

Dat.	<i>-ly.</i>	Dat.	<i>-jasly.</i>
Allat.	<i>-lanj.</i>	Allat.	<i>-jaslanj.</i>
Illat.	<i>-ǟ (* ö).</i>	Illat.	<i>-jasǟ (* jasö).</i>
Adess.	<i>-län (* lön).</i>	Adess.	<i>-jaslän (* jaslön).</i>
Iness.	<i>-yn.</i>	Iness.	<i>-jasyn.</i>
Ablat. 1.	<i>-lys.</i>	Ablat. 1.	<i>-jaslys.</i>
Ablat. 2.	<i>-sänj.</i>	Ablat. 2.	<i>-jassänj.</i>
Elat.	<i>-ys.</i>	Elat.	<i>-jasys.</i>
Consec.	<i>-la.</i>	Consec.	<i>-jasla.</i>
Prosec.	<i>-äd (* öd).</i>	Prosec.	<i>-jasäd (* jasöd).</i>
Term.	<i>-edzj.</i>	Term.	<i>-jasedzj.</i>

§. 29.

Quae nomina regulariter declinentur, quae irregulariter, vel aliis verbis: quaenam in Nominativo quandam amiserint consonantem, non est regulis in Grammatica circumscribendum, sed e vocabulario descendum. Nomina regularia, et in vocalem et in consonantem exeuntia, pari modo declinantur, hoc solo discrimine, ut vivifica, in consonam desinentia nomina, Accusativum forment per suffixum *-ǟs*.

I. Declinatio regularis.

§. 30.

Singularis.

Nom. *Mort, homo.*

Gen. *Mort, mortlän, mortlys.*

Pluralis.

Nom. *Mortjas.*

Gen. *Mortjas, mortjaslän,*
mortjaslys.

Accus.	<i>Mortäs.</i>	Accus.	<i>Mortjasäs.</i>
Instr.	<i>Mortän.</i>	Instr.	<i>Mortjasän.</i>
Carit.	<i>Morttäg</i> 1. -tägja.	Carit.	<i>Mortjastäg</i> 1. -tägja.
Dat.	<i>Mortly.</i>	Dat.	<i>Mortjasly.</i>
Allat.	<i>Mortlanj.</i>	Allat.	<i>Mortjaslanj.</i>
Illat.	<i>Mortlä.</i>	Illat.	<i>Mortjasǟ.</i>
Adess.	<i>Mortlän.</i>	Adess.	<i>Mortjaslän.</i>
Iness.	<i>Mortlyn.</i>	Iness.	<i>Mortjasyn.</i>
Ablat.	1. <i>Mortlys.</i>	Ablat.	1. <i>Mortjaslys.</i>
Ablat.	2. <i>Mortsänj.</i>	Ablat.	2. <i>Mortjassänj.</i>
Elat.	<i>Mortlys.</i>	Elat.	<i>Mortjasys.</i>
Consec.	<i>Mortla.</i>	Consec.	<i>Mortjasla.</i>
Prosec.	<i>Mortläd.</i>	Prosec.	<i>Mortjasäd.</i>
Term.	<i>Mortedzj.</i>	Term.	<i>Mortjasedzj.</i>

<i>Singularis.</i>		<i>Pluralis.</i>	
Nom.	<i>Ri, manus.</i>	Nom.	<i>Rijas.</i>
Gen.	<i>Ri, kilän, kily.</i>	Gen.	<i>Rijas, Rijaslän, Rijaslys.</i>
Accus.	<i>Ri.</i>	Accus.	<i>Rijas.</i>
Instr.	<i>Riän.</i>	Instr.	<i>Rijasän.</i>
Carit.	<i>Ritäg</i> 1. -tägja.	Carit.	<i>Rijastäg</i> 1. -tägja.
Dat.	<i>Rily.</i>	Dat.	<i>Rijasly.</i>
Allat.	<i>Kilanj.</i>	Allat.	<i>Rijaslanj.</i>
Illat.	<i>Riǟ.</i>	Illat.	<i>Rijasǟ.</i>
Adess.	<i>Kilän.</i>	Adess.	<i>Rijaslän.</i>
Iness.	<i>Riyn.</i>	Iness.	<i>Rijasyn.</i>
Ablat.	1. <i>Rilys.</i>	Ablat.	1. <i>Rijaslys.</i>
Ablat.	2. <i>Risänj.</i>	Ablat.	2. <i>Rijassänj.</i>
Elat.	<i>Riys.</i>	Elat.	<i>Rijasys.</i>
Consec.	<i>Rila.</i>	Consec.	<i>Rijasla.</i>

Prosec. *Kiäd.*
Term. *Kiedzj.*

Prosec. *Kijasäd.*
Term. *Kijasedzj.*

II. Declinatio irregularis.

§. 31.

Huc referenda sunt nomina: *a)* quac contractione in Nominativo litteram *l* amiserunt, eam vero in ceteris casibus recipiunt ante finem, qui cum vocali incipit i. e. in casibus: Instructivo, Illativo, Inessivo, Elativo, Prosecutivo, Terminativo.

Singularis.

Nom.	<i>Nyy, virgo.</i>
Gen.	<i>Nyy, nyylän, nyyllys.</i>
Accus.	<i>Nyy.</i>
Instr.	<i>Nylän.</i>
Carit.	<i>Nyytäg.</i>
Dat.	<i>Nyyly.</i>
Allat.	<i>Nyylanj.</i>
Illat.	<i>Nyläi.</i>
Adess.	<i>Nyylän.</i>
Iness.	<i>Nylyn.</i>
Ablat. 1.	<i>Nyylys.</i>
Ablat. 2.	<i>Nyysänj.</i>
Elat.	<i>Nylys.</i>
Consec.	<i>Nyyla.</i>
Prosec.	<i>Nyläd.</i>
Term.	<i>Nyledzj.</i>

Pluralis regulariter flectitur: Nom. *nyyjas*, Instr. *nyyjasän*, Illat. *nyyjasü*, Iness. *nyyjasyn*, e. s. p.

Obs. 1. Eodem modo declinatur maxima pars nominum, quae in Nominativo longam habent quantitatem, contractione litterae *l* aut *w* cum praecedenti vocali ortam. Exempla praebent: *kyy*, lingua, *yy* remotum, *vyy*, superum, et composita: *asyvyy*, latus orientale, *rätoovyy*, latus occidentale, *lunvyy*, latus australis, *vojvyy*, latus septentrionale; *köö*, funis, *töö*, ventus, *hiems*, *jöö*, lac, *wöö*, equus, *c'öö*, quietus, *pöö*, trabes, *uu*, quod infra est, et composita: *kodzjuu*, stella, *kotkodzjuu*, formica, *dzjodzjuu*, lacerta agilis, *peljuu*, pulvinar, *kokuu*, scabellum pedum, *loo*, spiritus, *soo*, sal, et omnia diminutiva in *-oo*, ex. gr. *rätoo*, occidens, *panoo*, polenta, *seroo*, lens pediculi, *jumoo*, cibus e farina et aqua praeparatus (Russ. *сыло*), nec non adjectiva diminutiva, ex. gr. *tölöö*, hiemalis, *tuusoo*, vernus, *dz'endoo*, brevis, *pemdooy*, obscurus, *gögräsoo*, rotundus, *kuzjoo*, aliqu. longus, *vez'oo*, sanctus, *arsjoo*, autumnalis.

Obs. 2. Revertente in flexione littera *l*, vocalis antecedens evadit brevis, ultima vero abjicitur, ex. gr. *nylä*, non *nylyä*, Nominat. *nyly*.

Obs. 3. Interdum usurpatur forma contracta, licet vocalis incipiat finem, ex. gr. Illat. *nyyä*, Iness. *nyy'yn*, Elat. *nyy'ys*.

b) Monosyllabica, quae primitus disyllabica fuerunt, sed, amissa vocali Nominativi finali, ob concursum duarum consonantium ultimam consonam (*m*, *k*, *t*) abjecerunt, recipiunt eam in casibus, quorum finis cum vocali incipitur.

1.

Nom.	<i>Jen, Deus.</i>
Gen.	<i>Jen, Jenlän, Jenlys.</i>
Accus.	<i>Jenmäs.</i>
Instr.	<i>Jenmän.</i>
Carit.	<i>Jentäg l. -tägja.</i>
Dat.	<i>Jenly.</i>
Allat.	<i>Jenlanj.</i>
Illat.	<i>Jenmää.</i>
Adess.	<i>Jenlän.</i>
Iness.	<i>Jenmyn.</i>
Ablat. 1.	<i>Jenlys.</i>
Ablat. 2.	<i>Jensänj.</i>
Elat.	<i>Jenmys.</i>
Consec.	<i>Jenla.</i>
Prosec.	<i>Jenmäd.</i>
Term.	<i>Jenmedzj.</i>

2.

Nom.	<i>Muös, vasea.</i>
Gen.	<i>Muös, muöslän, muöslys.</i>
Accus.	<i>Muös.</i>
Instr.	<i>Muöskän.</i>
Carit.	<i>Muöstäg l. -tägja.</i>
Dat.	<i>Muösly.</i>
Allat.	<i>Muöslanj.</i>
Illat.	<i>Muöskää.</i>
Adess.	<i>Muöslän.</i>
Iness.	<i>Muöskyn.</i>
Ablat. 1.	<i>Muöslys.</i>

Ablat. 2. *Muössänj.*

Elat. *Muöskys.*

Consec. *Muösla.*

Prosec. *Muöskäd.*

Term. *Muöskedzj.*

3.

Nom. *Os'*, ursus.

Gen. *Os'*, *os'län*, *os'lys.*

Accus. *Os'.*

Instr. *Os'kän.*

Carit. *Os'täg*, l. *-tägja.*

Dat. *Os'ly.*

Allat. *Os'lanj.*

Illat. *Os'kä'.*

Adess. *Os'län.*

Iness. *Os'kyn.*

Ablat. 1. *Os'lys.*

Ablat. 2. *Os'sänj.*

Elat. *Os'kys.*

Consec. *Os'la.*

Prosec. *Os'käd.*

Term. *Os'kedzj.*

4.

Nom. *Sep*, spica segetis.

Gen. *Sep*, *s'eplän*, *s'eplys.*

Accus. *Sep.*

Instr. *Sep tän.*

Carit. *Sep täg*, l. *-tägja.*

Dat. *Sep ly.*

Allat.	<i>S̄епланj.</i>
Illat.	<i>S̄ептā'.</i>
Adess.	<i>S̄еплān.</i>
Iness.	<i>S̄ептyn.</i>
Ablat. 1.	<i>S̄епlys.</i>
Ablat. 2.	<i>S̄епсānj.</i>
Elat.	<i>S̄епtys.</i>
Consec.	<i>S̄епla.</i>
Prosec.	<i>S̄ептād.</i>
Term.	<i>S̄епtedzj.</i>

Obs. 1. Secundum primum paradigmata declinantur: *sin*, *oculus*, *un*, *somnum*, *pon*, *canis*, *anj*, *uxor*, *zon*, *filius*, *kun*, *lixivium*; secundum sequuntur: *is*, *olor*, *pes*, *lignum fissum*, *vos*, *vomitus*, *lys*, *scopae fornacis*, *pos*, *pons*, *tes*, *farina avenacea*, *tjös*, *trabes tecti*, *mus*, *jecus*; tertium vero: *mys'*, *gibba*, *ös'*, *taurus*, *tos'*, *barba*; et quartum: *zep*, *pera vestimenti*.

Obs. 2. Nomina *muös*, *os'*, *ös'*, contra regulam negligunt finem Accusativi *äs*, in Ishemica saltem dialecto.

c) Litteram *j* ante vocalem finalem accipiunt:

1:mo) multa nomina monosyllaba, quae primitus sine dubio dissyllaba fuerunt, et in *i* exiverunt.

2:o) monosyllaba, excentia vel in vocalem longam, vel in diphthongum.

Ad primum ordinem pertinent: *zib*, *sustis*, Instr. *zibjen*, *id*, *hordeum*, Illat. *idje'*, *kyd*, *gluma*, Iness. *kydjyn*, *zud*, *eos*, Elat. *zudjys*, *byg*, *spuma*, Prosec.

bygjed, gög, umbilicus, Term. gögjedzj, gag, insectum, tug, scopae, ejag, purgamentum, wal, unda, dz'yn, dimidium, gyr, mortarium, gör, aratrum, pur, ratis, ker, trabes, kor, folium, tor, pars, myr, fulerum, dar, cochlear majus, dooz, corbis, gez, funis, poz, nidus, iiz, lapis, kooz, pinus abies, weez, nervus in arcu jaculatorio, jus, anas cygnus, pors, sus, rys, caseus, mez', vervex, wudz', arcus, wuz', radix, yz', ovis, e. s. p. Fieri potest ut haec et alia ejusmodi nomina in ceteris dialectis revera exent in *j*, ut quidem colligere licet e disquisitione de structura linguae Syrjaenae a Sjögren edita.

Secundi ordinis sunt: **1:mo** *pai*, pars, *pei*, digitus, *toi*, pediculus, *tui*, via; **Instr.** *paijen*, *toijen*, **Illat.** *paije'*, *toije'*, e. s. p. **2:do** *pii*, nubes, *syy*, orgyia (syli), *tuu*, clavus, cuneus, *uu*, ramus, *puu*, vaccinium vitis idaea; **Instr.** *püjen*, *syyjen*, *uujen*; **Elat.** *tujjys*, *püujjys*, *uujjys*, e. s. p.

Obs. 1. Jucundioris pronunciationis caussa nomina in *i* aliquando assumunt *j* ante finalem casuum vocalem, ex. gr. *ki*, **Instr.** *kiän*, l. *kijen*, *bi*, ignis, **Instr.** *biän*, l. *bijen*, e. s. p. Eodem modo in lingua Finnica duae vocales separantur per consonam *j*; ex. gr. *meiän* l. *meijän*, *niien* l. *niijen*, *veän* l. *vejän* etc.

Obs. 2. Quaedam monosyllaba in *ai*, *ei*, *oi*, aliasque ejusmodi diphthongos, mutant *i* in *j* et transferunt illud ad sequentem syllabam. Haec sine dubio dissyllaba fuerunt,

quorum secunda syllaba cum *j* incepit, elapsa vero ultima Nominativi voeali, *j* cum antecedente vocali diphthongum formavit in Nominativo. Quare talia nomina recte scribuntur: *voj*, *nox*, *jaj*, *caro*, *jöj*, *stultus*, *aj*, *pater* (Finn. *äijä*); Illat. *voje'*, *jöje'*, *aje'*; Instr. *vojen*, *jöjen*, *ajen*.

Obs. 3. Nomina *pii*, Finn. *pilvi*, *syy*, Finn. *sylt*, *sjuu*, Finn. *suoli*, *puu*, Finn. *puola*, aliaque ejusdem generis amisisse litteram *l*, e comparatione linguae Syrjaenae cum Finnia apparent. Amissa vero illa littera in flexione non revertitur, quoniam alia sunt in diversis casibus aequa sonantia vocabula, ex. gr. *pulys*, ab arbore, *syllys*, ab illis, *pilys*, a filio, e. s. p.

Obs. 4. *Sjögren* et *Gabelentz* putant mutationem litterae *ä* post *j* in *e* proficisci e lege, quae de voealibus duris mollibusque in lingua Finnia valet. Littera *j* ex vera eorum sententia primitus fuit *i*, sed falso statuunt illud *i* lenitatis caussa postulare *e* in fine. Littera enim *ä* ipsa mollis est, et in lingua Finnia antecedens *i* revera postulat in fine *ä*, non *e*. Ita etiam in lingua Syrjaena *ä* servatur post *i*, ut doceat exemplum *ki*. Nobis lingua Syrjaena in hac ratione Russicam imitari videtur, ubi sonus *jä*, vel si aliquando per *ʒ* designatur, pronuntiandus est *je*.

d) Nomen Subst. *pi*, filius, Finn. *pojka*, sumit semper ante finem *j*, et in Plurali omnino irregulariter declinatur, accipiens pro *-jas* finem *-an*, raro *-anjas* et adhuc rarius simplex *-jas*.

Pluralis.

Nom.	<i>Pijan.</i>
Gen.	<i>Pijan, pijanlän, pijanlys.</i>
Accus.	<i>Pijan.</i>
Instr.	<i>Pijanän.</i>
Carit.	<i>Pijantäg.</i>
Dat.	<i>Pijanly.</i>
Allat.	<i>Pijanlanj.</i>
Illat.	<i>Pijanä.</i>
Adess.	<i>Pijanlän.</i>
Iness.	<i>Pijanyn.</i>
Ablat. 1.	<i>Pijanlys.</i>
Ablat. 2.	<i>Pijansänj.</i>
Elat.	<i>Pijanys.</i>
Consec.	<i>Pijanla.</i>
Prosec.	<i>Pijanäd.</i>
Term.	<i>Pijanedzj.</i>

Eodem fere modo fleetitur *byd*, *omnis*, Plur. *bydän*, *omnes*, Acc. *bydänäs*, Elat. *bydänys*, e. s. p.

b) *Forma substantivorum derivata.*

§. 32.

Lingua Syrjaena non gaudet tanta derivatorum copia, neque nominum, neque verborum, quanta in aliis datur Finnicis linguis. Ratione habita nominum derivatorum, ea lingua vel pauperrima est, omnes fere

notiones, quae sua natura derivatam formam postulant, i. e. nomina abstracta, per Russica vocabula reddens. Quae vero quodam modo ad derivata referri possunt, heic enumeranda sunt, exceptis nominibus verbalibus: actore, aeto et agendo, de quibus infra dicendum.

§. 33.

Nomina diminutiva in *-öj* et *-ly* occurunt tantum in Nominativo casu, neque vero in sermone communī, sed in carminibus. Quae in *-öj* exeunt, videntur orta esse ex interjectione, pari modo sonanti. Notio eorum est commiserandi, diminutivorum vero in *-ly* laudandi. Exempla utriusque generis: *mämöj*, e nom. *mäm*, mater; *äjöj*, ab *äj*, pater; *vököj*, a *vok*, frater; *olemöj*, ex *olem*, bonum (elo); *kuilemaöj*, e *kuilema*, Part. pass. a *kuila* enbo, dormio; *pysanly*, e *pysan*, mensa; *burly*, e *bur*, bonus; *juanylly*, e *juan*, potus; *lunly*, e *lun*, dies; *pööly*, e *pöö*, assis e. s. p. Elizione litterae *l* post vocalem orta est contracta illa diminutivorum forma in *oo*, ex. gr. *rätöö*, *panoo*, *jumoo*, etc. vide §. 31. Obs. 1.

§. 34.

Nomina in *-ka*, ex aliis substantivis derivata, quorum vis est augmentativa, ex. gr. *kerka*, domus

(*ker, trabes*); *aika, socer* (*aj, mas, pater*); *inka, socra* (*inj, foemina*).

§. 35.

Nomina in *-as* et *-äas* (*-es*), derivata vel a verbis, vel ab aliis nominibus, variam significationem permit-tunt. Quae proficiscuntur e verbis, saepe indicant *me-dium* quodvis vel instrumentum, ex. gr. *maitas*, unguentum, e *maila*, ungo; *domas*, lacinia sarturæ, e *doma*, sarcio; *sartas*, taeda lignea; *murläs*, mensura, e *murtala*, melior. Alia vero, inprimis quae a no-minibus derivantur, ad certam quandam et universam notionem referri non possunt, ut probant exempla: *koljas* reliquiae, (*kolja*, relinquo); *idzjas*, culmus straminis, (*id*, hordeum); *peljes*, angulus in domo, (*pelj*, auris); *keräs*, vicus, (*ker*, assis); *koräs*, scopæ, (*kor*, folium); *somäs*, fermentum, (*som*, acidus). Quaedam sunt simplicia, ex. gr. *pydäas* l. *pyd*, fundus; *pidzjes*, genu; *kymäs*, frons; *veräs*, vir; *moräs*, pectus; *tagäs*, limen januae inferum, *amäs*, culter a-ratri; *voljes*, culmus calcei; *sijes*, apparatus equi ju-galis; *pyc'käs*, quod intra est (*sisä*) e. s. p.

§. 36.

Nomina in *-ys*, vel e nominibus derivata vel sine nota radice, aeque incertae sunt vis ac praecedentia, ex. gr. *tölys*, mensis, (*töö* ventus), *kölys*, nuptiae, (*köö*,

funis), tulys, ver, votys, vacca, esys, argentum, iutys, aliquid subjectum (подкладка, ии, quod subest), *sjumys, ligamen; vurdys, mus aquatilis e. s. p.*

§. 37.

E verbis derivata sunt nomina substantiva in -äd, quae proprie *medium* indicant, ex. gr. *körtäd*, ligamen, a *körtala* (amissa radix: *körta*), ligo; *sodtäd*, augmentum, quo augetur, e *sodta*, augeo; *ortsäd*, auxilium, ab *ortsala* (*ortsä*), auxiliar; *soräd*, quo miscetur, quod in mixturam ingreditur, e *sora*, misceo; *tupräd*, quo convolvitur, e *tuprala*, convolvo e. s. p.

§. 38.

Ex his formata sunt nomina in -äda, quae vera adjectiva sunt, licet pro substantivis saepe usitentur, ex. gr. *körläda*, vincum; *tupräda*, convolutum; *soräda*, mixtum, mixtura; *sodtäda*, auctum.

§. 39.

Nomina in -a' (ah), ab adjectivis derivata, abstracta sunt, qualitatem quandam indicantia, ex. gr. *jugda'*, claritas, (*jugyd*, clarus); *pemda'*, obscuritas, (*pemyd*, obscurus); *kurda'* amaritas, (*kuryd*, amarus); *kyyza'*, crassitudo, (*kyyz*, crassus); *kuzja'*, longitudo, (*kuzj*, longus).

§. 40.

E nominibus in *-äg* (-eg) et *-täg* alia primitiva sunt, ex. gr. *dzjodzjeg*, anser, *rudzjeg*, secale cereale; alia derivata, indicantia vasa et res cavitate vel alio quodam occulto praedita, ex. gr. *susjeg* cumera, repositorium frumenti; *solantäg*, vas salis, *majeg*, palus terrae infixus; *iiztäg*, sulphur.

§. 41.

Notionem *loci* reddunt nomina, finem sibi per syllabam *-in* formantia. Quaedam ex illis derivantur ab adjectivis, ex. gr. *pemydin*, locus obscurus, a *pemyd*, obscurus; *jugydin*, locus lucidus, a *jugyd*, clarus; *iüzjesin*, locus lapidosus, ab *iizjes*, lapidosus. Maxima vero pars oritur e verbalibus in *-an*, ex. gr. *Olanin* l. *loozjanin*, domicilium, locus habitandi, ab *ola*, *loozja*, vivo, *olan*, *loozjan*, habitatio; *vetlanin*, via, locus eundi, a *vetla*, eo; *puktysjanin*, vagina, locus cultrum ponendi, *puktysjan*, positio (*pukta*, pono, Pass. *puktysja*); *juanin*, locus bibendi, e *jua*, bibo, *juan*, potus e. s. p.

§. 42.

Nomina saepe formantur compositione, ex. gr. *wador*, ripa, pr. aquae vicinitas, *peljdjin*, gena, pr.

auris finis; *kipydäs*, palma, pr. manus fundus; *peljuu*, pulvinar, Finn. *päänala*.

B. Nomen Adjectivum.

§. 43.

Ut nomina substantiva, ita etiam adjectiva certo carent in Nominativo fine, quod idem de linguis Finnicis et Lapponica valet. De cetero Syrjaena lingua id habet cum his commune, ut multa adjectiva simul substantiva sint et adverbia, ex. gr. *bur*, bonus, bonum, bene; *ljok*, malus, malum, male; *tyr*, plenus, plenitas, plene; *kyn*, frigidus, frigus, frigide; *jugyd*, clarus, claritas, unde mundus, (Russ. съѣмъ, claritas et mundus); *pemyd*, obscurus, obscuritas; *ödja*, citus, eito e. s. p.

§. 44.

Declinatio adjectivorum eadem est ac substantivorum, cum illa vi substantiva gaudent. Quae si substantivis adjecta fuerint, omni carent flexione, ex. gr. *tom kerkaä*, in novam domum, *tom kerkayn*, in nova domo, *tom kerkays*, e nova domo. Pluralis adjectivorum exit in *-jas*, vel *-äsj* (* *-ösj*). Finis *-äsj* praedicatis semper adjungitur; *attributa* vero possunt assumere utrumque finem; quin etiam Nominativus

Sing. adjectivorum usurpari potest ante substantiva Pluralis num., ex. gr. *tom* l. *tomjas* l. *tomäsj ker-kajas*, *kerkajasly*, *kerkajasys* etc.

§. 45.

Comparatio adjectivorum est manca. Comparativus exit in *-dz'yk* (**c'yk*), ex. gr. *burdz'yk*, melior, *donadz'yk*, praetiosior, sed Superlativus proprio caret fine. Compensatur 1:o per particulam *med*, ex. gr. *med vodzja*, primus, *med bur*, optimus, 2:o per adverbium *zej*, valde, ex. gr. *zej sjökyd*, valde gravis, 3:o per nom. adjectivum *byd*, omnis, l. *bydänys*, ex omnibus (Russ. всѣхъ), ex. gr. *byd* l. *bydänys dzjölja*, minimus (всѣхъ меныший). Comparativus et Superlativus declinantur ut Positivus gradus. Comparativus vero in Plurali potissime assumit finem *äsj* in utraque adjectivorum forma.

§. 46.

Finis Comparativi est in dialecto Ishemicia immutabilis *dz'yk*, (non *-c'yk*). Qui si ex indole et legibus linguae truncо immediate adjungi non potuerit, mutatur ipse truncus, ex. gr. *ljok*, comp. *ljogdz'yk*, (non *ljokc'yk*). Animadvertisendum quoque, adjectiva, desinentia in vocalem, illam aliquando in Comparativo abjecere, ex. gr. *una*, multus, comp. *undz'yk* l. *unadz'yk*.

§. 47.

Ut **adjectiva**, ita etiam multa comparantur adverbia, quin etiam nomina substantiva, cum pro adverbii usitantur, ex. gr. *zej*, valde, comp. *zejdz'yk*, superl. *medzej*; *ylyn*, procul, comp. *ylyndz'yk*, superl. *medylyn*; *dorä*, in marginem (prope, a *dor*, margo), comp. *dorädz'yk*, magis ad marginem (propius, Finn. *vieremmäksi*, a *vieri*, margo); *s'örä*, in medium, (*s'ör*, medium), comp. *s'örädz'yk*, magis in medium (Finn. *keskemmälle*, a *keski*, medium). Adverbia in *-aa* sumunt comparativi finem inter truncum et positivi terminationem, ex. gr. *buraa*, bene, comp. *burdz'ykaa*, pejus.

§. 48.

Adjectiva derivata saepissime orta sunt e substantivis et frequentissimae eorum terminaciones sunt:

1. *-a (-ja)*, ex. gr. *dona*, praetiosus (*don*, praetium); *göna*, pilosus (*gün*, pilum); *wema*, cerebrosus (*wem*, cerebrum); *vyna*, robustus (*vyn*, robur); *myz'a*, culpae obnoxius (*myz'*, culpa); *myykyda*, prudens (*myykyd*, mens); *sjura*, cornutus (*sjur*, cornu). Quaedam adjectiva in *a* videntur orta esse e casu Elativi, transversis litteris finalibus et mutato *y* in *j*,

ex. gr. *vosja*, annuus (*vo*, annus, Elat. *voys*); *gusja*, occultus (*gu*, fovea, Elat. *guys*). De caetero adjectiva in *a* raro formantur e substantivis in vocalem desinentibus. Quod cum aliquando acciderit, additur *j* consonans inter truncum et finem, ex. gr. *bi*, ignis, *bija*, igneus; vel mutantur *i* et *y* in *j*, ex. gr. *asy*, mane, *asja*, matutinus; *öni*, nuper, *önja*, nuperus. Nonnulla assumunt *j* post litteras liquidas, ex. gr. *lun*, dies, *lunja*, diurnus; *sör*, medium, *sörja*, medius. Adjectiva in *-a*, formata e substantivis, quae quandam amiserunt consonam, illam recipiunt, ex. gr. *jöla*, lacteus (*jöö*, lac); *töla*, ventosus (*töö*, ventus); *sola*, salsus (*soo*, sal); *sinna*, oculosus (*sin*, oculus); *iska*, olorosus (*is*, olor). Quae vero derivata sunt a substantivis, amissam vocalem non recipientibus, horum instar assumunt *j* post contractam vocalem, ex gr. *püija* (raro: *pila*), nubilosus (*pii*, nubes, Iness. *piijyn*); *sjuuja* (non *sjula*), intestinus (*sjuu*, ile, Elat. *sjuujys*); *syyja*, longitudine orgyae (Finn. *sylinen*) e. s. p.

Obs. Dantur quidem in lingua Finnica adjectiva in *-a* (-ä) l. *-ja* (-jä) ex. gr. *korkia*, *laaja*, *surkia*, *valkia*, haec vero primitiva sunt et aliam habent vim. Cum adjectivis Syrjaenis in *-a* (-ja) congruunt in lingua Finnica intensiva adjectiva in *-nen*, ex. gr. *vaivanen*, *sarvinen*, *karvanen*.

2. *-yd* l. *-id*, quae terminatio proprie ad primitiva pertinet, quare adjectiva illius terminationis

simul substantivam habent vim, ex. gr. *sjökyd*, onus, gravis, *pemyd*, *jugyd* (v. §. 43). Quaedam vero adjectiva in *-yd* (-id) desinentia ex adverbiiis orta esse videntur, ex. gr. *kokni*, facile, *koknid* l. *koknyd*, facilis; *vösni*, tenue, *vösnid* l. *vösnyd*, tenuis. Fieri potest, ut hodiernus adverbii finis primitus adjectivi fuerit, ut etiam in lingua Lapponica genuina adjectivorum terminatio in vocalem aliquando aucta est littera *-d*, ex. gr. *roakkad*, audax, (Finn. *rohkia*), *vuoiggad*, rectus, (Finn. *oikia*), quae sine dubio orta sunt ex amissis radicibus *roakki*, *vuoiggi*, unde revera evolvenda est forma horum adjectivorum finita: *roakkis*, *vuiggis*.

3. *-äs* (-es) vim augendi adjectivis tribuens, ex. gr. *sjuräs*, plenus cornuum (*sjur*, cornu, *sjura*, cornutus); *nomräs*, plenus vermium (*nomyr*, vermis); *bygjes*, spumae plenus (*byg*, spuma); *gögräs*, plenus orbium, rotundus (*gögär*, orbis) e. s. p.

4. *-sa*, est terminatio adjectivis loci propria, ex. gr. *gögärsä*, in orbe vivens; *pydz'ägsa*, in sinu jacens (*pydz'äg*, sinus); *uusa* l. *ulysa*, inferus (*uu*, infra positum); *yysa* l. *ylysa*, remotus (*yy*, remotum); *vyysa* l. *vylysa* superus (*vyy*, quod supra est); *asy-vyysa*, orientalis; *lunvyysa*, australis; *muusa*, subterraneus, e *mu*, terra et *uusa*.

5. *-oo* minuit vim adjectivi, ut etiam adjectiva in *oo* diminutiva appellata sunt, ex. gr. *dzjöljaoo*, parvulus, *gögräsoo*, nonnihil rotundus (кругловатый), *kuzjoo*, aliquantum longus (долговатый, *kuzj*, longus), *töloo*, hiemalis, *arsjoo*, auctumnalis, *pemdooy*, tenebrosus, e. s. p.

6. *-ad*, qui finis ordinalia format, respondens ad finem ordinalium in lingua Finnica: *-si*, primitus: *-ti* (cfr. §. 25 sub № 15) et in lingua Lapponiea *-ad*.

7. *-täm* (**-töm*), Finn. *-toin* (*-töin*), Lapp. *-tebme* (*-tem*) est finis negativorum, quae formantur vel e nominibus vel e verbis, ex. gr. *sintäm*, coecus (*sin*, oculus), *peljtäm*, surdus (*pelj*, auris), *myykydtäm*, demens (*myykyd*, mens), *gozjatäm*, innuptus, (*gozja*, par, bini), *pootäm*, interritus (*pola*, timeo, Imperat. *poly* I. *poo*); *ottäm* (pr. *otatäm*), angustus (*ota*, latus) e. s. p.

§. 49.

Adjectiva componuntur: 1:o cum adjectivis, ex. gr. *ydz'yd -tos'a*, longa barba ornatus, Finn. *pitkäpartanen*; *ydz'yd -koka*, longis pedibus, Finn. *iso-jalkanen*; 2:o cum substantivis, ex. gr. *kos-soja*, secca manu, Finn. *kuiva-käsi*; *tuivyysa*, viaticus, Finn. *matkan-alanen*; *muusa*, subterraneus, Finn. *maan-alanen*.

C. Nomen Numerale.

§. 50.

Ad affinitatem *Cardinalium* in linguis Syrjaena, Finnica et Lapponica perspicendam, haec necessaria est tabula:

<i>Syrj.</i>	<i>Finn.</i>	<i>Lapp.</i>
1. Ötik.	Yksi (pr. ykte l. yhde.)	Oft (* okt, akt).
2. Ryk.	Kaksi (pr. kakte l. kahde).	Guost (* kuokta, kuokt.)
3. Kujim (kuim).	Kolme.	Golm.
4. Njolj.	Neljä.	Njälja (* nelje).
5. Vit.	Viisi (pr. viite).	Vitta l. vit.
6. Kvait.	Kuusi (pr. kuute).	Gutta l. gut (* kot, kut).
7. Sizim.	Seitsemän.	C'ee'c'a.
8. Rökjaamys.	Kahdeksan.	Gauttse (* kaktse).
9. Okmys (* ökmrys).	Yhdeksän.	Ofttse (* oktse).
10. Das.	Kymmenen.	Loghe (* lokke).
11. Dasötik.	Yksi toista kymmentä.	Oft nubbe lokkai.
12. Daskyk.	Raksi toista kymmentä.	Guost nubbe lokkai.
13. Daskujim.	Kolme toista kymmentä.	Golm nubbe lokkai.
20. Kyzj.	Raksi kymmentä.	Guost loghe

30. Romyn.	Kolme kymmentä.	Golm loghe.
40. Njeljaamyn.	Neljä kymmentä.	Njälja loghe.
50. Vetyymyn.	Viisi kymmentä.	Vit loghe.
60. Rvaityymyn.	Kuusi kymmentä.	Gut loghe.
70. Sizimdas.	Seitsemän kymmentä.	C'ec'a loghe.
80. Rökjaamysdas.	Rahdeksan kymmentä.	Gauttse loghe.
90. Okmysdas.	Yhdeksän kymmentä.	Ofttse loghe.
100. Sjo.	Sata.	Cuotte.
1000. Tiisaeja (* sjurs).	Tuhat.	Dubat.

Obs. 1. Evidentissime congruunt nomina cardinalia usqve ad *septem*. Affinitatem numerorum *octo* et *novem* probare studuit *Sjögren*, ostendens eos in allatis tribus linguis e numeris *unum* et *duo* formatos esse, scil. *kökjaamys* et *okmys* e numeris *kyk*, *duo* et *ötik* l. *ök*, *unum*, compositis cum casu Elativo amissi nominis numeralis *jaam*, *decem* (*jang*, *jong* in lingua *Ostjacorum*), i. e. *duo* et *unum* e *decem*: restant *octo* et *novem*. Eadem formandi rationem adhiberi putat in lingua Finnica, conjectiens finem *san* (*sän*) in numeris *kahdeksan* et *yhdeksän* proficisci ex amissio Ablativo casu in *san* (*sän*), in lingua *Syrjaena* *sänj*, antecedentem vero litteram *k* originem debere nomini numerali *kymmeuen*, *decem*. Nobis vero magis arridet eorum sententia, qui nomina numeralia *seitsemän*, *kahdeksan*, *yhdeksän*, *kymmenen* pro Genitivis habent Nominativorum: *seitsen*, *kahdeksa*, *yhdeksä*, *kymmen*, quae in compositis adhuc usurpantur, ex. gr. *seitsen-sarvi*, *kahdeksa-jalka*, *yhdeksä-kaaranen*, *kymmen-sorminen*. In formatione cardinalium linguae *Syrjaenae*: *kökjaamys* et *okmys* e *kyk*, *ök* et *jaam* etiam animadvertisendum, elisionem longae vocalis in *okmys* esse et difficultem et insolitam. Praeterea ex *ötik* non necessario

oritur *ök*, sed primo *ötk* et ob concursum consonantium *öt*, quae forma abbreviata in usu est. *Ökmys* facilius derivatur ex *ötik* et *kym* (Finn. *kymmenen*), Elat. *ötikkymys*, ctr. *ötkkymys* l. *ötkymys* unum e duo. Ex §. 9. abjicitur *y* in medio vocabulo, unde *ötkmys*. Heic vero concurrunt in fine syllabae duae consonantes, ex quibus nunc abjicienda est antecedens, ne nimis laedatur radix vocabuli *kym*. — *Kökjaamys* aptissime quidem derivatur e *kök* et *jaam*, eujus originis porro sunt cardinalia non tantum *njeljaamyn*, sed verisimile etiam *vetyymyn* et *kvaillyymyn*.

Obs. 2. Nomina cardinalia inter decem et viginti diverso modo formata sunt in lingua Syrjaena atque Finnica: in illa addendo ad decem unum, duo (decem unum, decem duo etc.), in hac tali ambage: unum, duo secundae decadis. Id quoque valet de pluribus ceteris numeralibus. Paucis: numeralia in linguis Syrjaena, Finnica et Lapponica planc congruunt tantummodo usque ad numerum: *septem*, qui simul finit seriem numeralium, quae primitivae sunt originis. Ex hoc conjiceret licet, Finnicas gentes quondam hactenus tantum numerasse, quare numerus *septem* pro sancto habitus est. *Decem* quidem redditur verbo primitivo, sed denominatio ejus variat in variis linguis, unde collendum, hunc numerum posterioris esse originis. *Das* in lingua Syrjaena est Russicum *decemb*. Russiae quoque originis sunt denominations numeri *centum*: *sjo*, *sata*, *c'uootte* (Russ. *cmo*), sic conformatae ob concursum duarum consonantium.

Obs. 3. Nomina cardinalia regulare declinantur, rarissime vero occurrunt in Plur. num.

§. 51.

Ordinalia formantur e cardinalibus, addito fine *-äd*, qui idem est ac in lingua Lapponica *-ad*, in Finnica *ti l. si*, cfr. §. 48: 6. Nomen ordinale *medvodzja*, primus, est superlativus a positivo *vodzja*, anticus, rad. *vodzj*, quod ante est, Finn. *esi*, unde *esimäinen*, primus, Lapp. *vuostas*. Ordinale *muöd*, secundus, alius, convenit cum Finnico: *mui*, alius, Lapp. *mubbe*, *mubbäd*, *nubbe*, alius, secundus. De cetero convenientia ordinalium in tribus his linguis formandorum ex hoc typo apparet:

<i>Syrj.</i>	<i>Finn.</i>	<i>Lapp.</i>
1. Medvodzja.	Esimäinen.	Vuostas.
2. Muöd.	Toinen.	Mubbe l. nubbe.
3. Koimäd.	Kolmas.	Goalmad l. Kolmad.
4. Njoljed.	Neljäs.	Njäljad l. Neljad.
5. Vitäd.	Viides.	Vidhad l. Vitad.
6. Kvaitäd.	Ruudes.	Gudhad l. Kotad.
7. Sizimäd.	Seitsemäs.	C'ec'ad.
8. Kökjaamysäd.	Rahdeksas.	Gavtsad l. Rakt-sad.
9. Okmysäd.	Yhdeksäs.	Oftsad l. Oktsad.
10. Dasäd.	Kymmenes.	Logbad l. Lokkad.
11. Dasötikäd.	Yhdes toista kym- mentä.	Vuostas nubbe lokkai.

12. Daskykäd.	Kahdes toista kym- mentä.	Mubbäd (l. nubbe) nubbe lokkai.
13. Kuimkykäd.	Kolmas toista kym- mentä.	Goalmad nubbe lokkai.
20. Kyzjed.	Kahdes kymmenes.	Guoft loghad l. lokkad.
30. Komynäd.	Kolmes kymmenes.	Golm loghad l. lokkad.
100. Sjoäd.	Sadas.	Cuodhad.

§. 52.

Distributiva in lingua Syrjaena et Finnica formantur e cardinalium Instructivo casu, ex. gr. *kykän*, bini, F. *kaksin*; *kuimän*, terni, F. *kolmin*; *njoljän*, quaterni, F. *neljin*; *vitän*, quini, F. *vüsin*; *kökjaamysün*, octeni, F. *kahdeksin*; *dasän*, deni, F. *kymmenin*, Pl. *dasjasän*, F. *kymmenittäin*; *sjoän*, centeni, F. *sadoin*, Pl. *sjojasän*, F. *sadottain* e. s. p. Observandum Finnicam linguam, ubi Instructivus Sing. parum usitatur, in distributivis formandis uti Instr. Plur. Distributiva in lingua Syrjaena cum suffixis frequenter conjunguntur, ex. gr. *ötnan*, *ötnad*, *ötnas*, ego, tu, ille solus, *ötnanum*, *ötnanyd*, *ötnanys*, nos, vos, illi invicem; *kyknatum*, *kyknanyd*, *kyknays*, nos, vos, illi bini, *kuimnanum* e. s. p.

§. 53.

Iterativa quoque et *Temporalia* pari modo in

Finnica atque Syrjaena lingua formantur, scil. Elatio-
vo easu *cardinalium* et *ordinalium*, excepto iterativo
ötpir, semel, non *ötkys*. Alia sonant: *kykys*, bis,
kahdesti, prim. *kahdesta*; *kujimys*, ter, F. *kolmasti*;
sizimys, septies, F. *seitsemästi*; *kökjaamysys*, octies,
F. *kahdeksasti*. Ita etiam temporalia: *medwodzjays*,
prima vice, F. *esimäisesti*; *muödys*, secunda vice, F.
toisesti; *koimädys*, tertia vice, F. *kolmannesti*; *njolje-
dys*, quarta vice, F. *neljännesti*.

§. 54.

Multiplicativa oriuntur compositione cardinalium
cum *pöösa* vel *kyyza*, ex. gr. *ötpöösa* I. *ötkyyza*, sim-
plex, F. *yksinkertanen*; *kykpöösa* I. *kykkyyza*, dup-
lex, F. *kaksinkertanen*; *kujimpöösa* I. *kujimkyyza*
e. s. p. Nom. Subst. *kyyza* proprie significat: *eras-
titudo*; adjectivum *pöösa*, simplex non usitatum, de-
rivandum est a nom. subst. *pöö* (v. vocabularium).

§. 55.

Numeri fracti, dimidium indicantes, hoc modo
exprimuntur: *dz'yn*, dimidium, *muödys dz'yn*, dimi-
dium e seeundo, sesqui, *koimädys dz'yn*, dimidium
e tertio, sesquitercius. Aliae partes redduntur ope
nominis *pai*, pars, ex. gr. *koimäd pai*, tertia pars,
njoljed pai, quarta pars.

§. 56.

In lingua Syrjaena dantur adhue adjectiva numeralia, e cardinalibus formata, quae praedicant, quantum in se contineant res, ut *kyka*, *kuima*, *kyzja*, *dasötika*, *sjoja*, ex. gr. *sjoja lis*, folium centum (ruberlos) continens.

D. Pronomen.

§. 57.

Pronomina personalia sunt: *me*, ego, Finn. *minä*, Lapp. *mon*, Plur. *mi*, Finn. *me*, Lapp. *mi*; *te*, tu, Finn. *sinä* (pr. *tinä*), Lapp. *don* (*ton*), Pl. *ti*, Finn. *te*, Lapp. *di* (*ti*); *sya*, ille, Finn. *hän*, se, Lapp. *son*, Pl. *nya*, Finn. *he*, ne, Lapp. *si*. Pronomen tertiae personae suos format casus ab inusitatis in Nominat. formis: sing. *sy* (Finn. *se*) et Plur. *ny*. Praeterea declinatio pronominum personalium, praecipue in prima et secunda persona, multis obnoxia est anomaliis, ut ex paradigmate appareat:

*Singularis.*Nom. *Me*Gen. *Menam, mejam, meam.*Accus. *Menä.*Nom. *Tc*Gen. *Tenad, tejad, tead.*Accus. *Tenä.*

Instr.	<i>Menam, (* meön)</i>	Instr.	<i>Tenad (* teön).</i>
Carit.	<i>Metägä 1. metägjaää.</i>	Carit.	<i>Tetägyd, tetägjayd.</i>
Dat.	<i>Men, menum (* menym).</i>	Dat.	<i>Ten, tenyd (* ted).</i>
Allat.	<i>Melanje.</i>	Allat.	<i>Telanjyd.</i>
Illat.	<i>Meam.</i>	Illat.	<i>Tead.</i>
Adess.	<i>Mejam, menam.</i>	Adess.	<i>Tejad, tenad.</i>
Iness.	<i>Meam.</i>	Iness.	<i>Tead.</i>
Abl. 1.	<i>Mencjum (* mensim).</i>	Abl. 1.	<i>Tencjyd (* tensid).</i>
Abl. 2.	<i>Mesänje</i>	Abl. 2.	<i>Tesänjyd.</i>
Elat.	<i>Mesjum (* meys.)</i>	Elat.	<i>Tesjyd (* teys).</i>
Cons.	<i>Melaää.</i>	Secut.	<i>Telayd.</i>
Pros.	<i>Meädä.</i>	Praet.	<i>Teädyd.</i>
Term.	<i>Me'edzje.</i>	Term.	<i>Te'edzjyd.</i>

Pluralis.

Nom.	<i>Mi.</i>	Nom.	<i>Ti.</i>
Gen.	<i>Mijan, mian.</i>	Gen.	<i>Tijan 1. Tian.</i>
Aceus.	<i>Mijantä, miانتä (* mi-</i>	Aceus.	<i>Tijantä, Tiantä (* tian-</i>
	<i>andö, mijanös).</i>		<i>dö, tijanös).</i>
Instr.	<i>Minanum (* mianön).</i>	Instr.	<i>Tinanyd (* tianön).</i>
Carit.	<i>Mitäqnum, mitägjanum.</i>	Carit.	<i>Titägnyd, titägjanyd.</i>
Dat.	<i>Mijan (* mijanly).</i>	Dat.	<i>Tijan, (* tijanly.)</i>
Allat.	<i>Milanjnum.</i>	Allat.	<i>Tilanjnyd.</i>
Illat.	<i>Mianum.</i>	Illat.	<i>Tianyd (* tijanö).</i>
Adess.	<i>Mijan.</i>	Adess.	<i>Tijan.</i>
Iness.	<i>Mianum.</i>	Iness.	<i>Tianyd (* tijanyn).</i>
Abl. 1.	<i>Mijanejunum (* mijan-</i>	Abl. 1.	<i>Tijanejnyd.</i>
	<i>ejumys).</i>		
Abl. 2.	<i>Misänjnum.</i>	Abl. 2	<i>Tisänjnyd.</i>
Elat.	<i>Misjunum.</i>	Elat.	<i>Tisjnyd (* tijanys).</i>

Cons.	<i>Milanum.</i>	Cons.	<i>Tilanyd.</i>
Pros.	<i>Miednum.</i>	Pros.	<i>Tiednyd.</i>
Term.	<i>Miedzjnum</i> (* <i>mija-nödżj</i>).	Term.	<i>Tiedzjnyd</i> (* <i>tijanödżj</i>).

Singularis.

Nom.	<i>Sya.</i>	Nom.	<i>Nya</i> (* <i>nyja</i> , <i>naja</i> , <i>syjajös</i>).
Gen.	<i>Sy</i> , <i>Sylän</i> , <i>Syls.</i>	Gen.	<i>Ny</i> , <i>nylän</i> , <i>nylys</i> (* <i>naja-lön</i> , <i>nalön</i> , <i>syjöslön</i>).
Accus.	<i>Syje</i> , <i>Syä</i> (* <i>syjes</i>).	Accus.	<i>Nyjä</i> (* <i>najaös</i> , <i>nyjaös</i> , <i>syjajasös</i> , <i>syjöslö</i>).
Instr.	<i>Syjen</i> , <i>syän</i> .	Instr.	<i>Nyän</i> (* <i>najaön</i> , <i>syjeja-söñ</i>).
Carit.	<i>Sytäg</i> , <i>sytägja</i> .	Carit.	<i>Nytäg</i> , <i>nytägja</i> .
Dat.	<i>Syly</i> .	Dat.	<i>Nyly</i> (* <i>najaly</i> , <i>naly</i> , <i>syjösly</i>).
Allat.	<i>Sylanje</i> .	Allat.	<i>Nylanje</i> .
Illat.	<i>Syä</i> .	Illat.	<i>Nyä</i> .
Adess.	<i>Sylän</i> .	Adess.	<i>Nylän</i> .
Iness.	<i>Sy'yn</i> .	Iness.	<i>Ny'yn</i> .
Abl. 1.	<i>Syls.</i>	Abl. 1.	<i>Nyls.</i>
Abl. 2	<i>Sysänj.</i>	Abl. 2.	<i>Nysänj.</i>
Elat.	<i>Sy'ys</i> .	Elat.	<i>Ny'ys</i> (* <i>najays</i>).
Cons.	<i>Syla</i> .	Cons.	<i>Nyla</i> .
Pros.	<i>Syäd</i> .	Pros.	<i>Nyäd</i> .
Term.	<i>Syedzj</i> .	Term.	<i>Nyedzj</i> (* <i>najaedzj</i>).

Pluralis.

Obs. 1. In pronomine tertiae personae a regula abhorrent:
1:o Nominativi Sing. et Plur. num., qui cum littera *a*
in fine aucti sunt; 2:do Accusativus et Allativus utrius-

que numeri, exeentes in *ä*, quod primae personae suffixo originem debet.

Obs. 2. Multa, quae in pronominibus personalibus *me* et *te* irregularia videntur, e statu illorum suffixo pendent et regularia sunt. Ita easus Illativus et Inessivus: *meam*, *tead*, nee non *Adessivus*: *mejam*, *tejad* regulariter formati sunt ab uno eodemque Illat. easu: *meä*, *teä* (esr. §. 59 obs. 1.) Heic vero observandum pronomina personalia, ut distinguantur easus loci exterioris et interioris, in Adessivo Sing., Dativo, Adessivo et Ablat. 1. Plur. num. assumere litteram *j* et desuper in Dativo et Adessivo suffixum Plur. num. omittere. — Instructivus Sing. *menam*, *tenad* emanat e statu absoluto: *meyn*, *teyn*; Ablat. 1. *menejum*, *tenejyd* non potest derivari, nisi e *menys*, *tenys*, ubi *n* superfluum est. Elativus pronominum *me* et *te* est *meys*, *teys*, unde status suffixi *mesjum*, *tesjyd* se formavit. Pari modo in Plur. num. Dativus et Adessivus: *mijan*, *tijan* orti sunt ex absoluta Illativi forma: *miä*, *tiä* cum suffixo Sing. numeri. Ejusdem originis sunt Illativus et Inessivus: *mianum*, *tianyd*, quibus suffixum Plur. num. adbaeret. Instructivus: *minanum*, *tinanyd* regulariter oritur e forma simpliei: *miyn*, *tiyn*; ita etiam Elativus: *misjuum*, *tisjynyd* e *miys*, *tiys*. Ablativus 1: *mijanejum*, *tijanejynyd* postulat in statu absoluto: *mijanys*, *tianys*, quae irregularia sunt, e Dativo formata. Varia Ablativi forma *mijanejumys* orta est e *mianys* eum suffixo Sing. (*mijanejum*), cui adhuc novus Elativi finis adjunetus est. — Omnino a regula abhorrent: 1:o Aceusativus Sing. *menä*, *tenä*; 2:o Dativus Sing. *men*, *ten*; 3:o) Aceusativus Plur. *mijantä*, *tijantä*. Dativus et Aceusativus Sing. sine dubio originem debent formae cui-

dam vetustae, continent litteram *n*, quam pronomina personalia in affinibus linguis servarunt. Ultima Accusat. Sing. vocalis *ä* est suffixum primae personae, quam conformitatis causa secunda persona sibi vindicavit. Cum *ä* simul est finis Illativi, conjicere licet, Dativos *men* et *ten*, ab Illativo ortos, hanc amisisse vocalem, ut evitaretur inter Dativum et Accusativum ambiguitas. — Accusativus Pluralis exstisset videtur e Genitivo et suffixo secundae personae. Cetera regularia sunt.

§. 58.

Suffixa personalia omnibus Finnicis linguis propria, in Syrjaena adeo suam commutaverunt indolem, ut per se tantum formam finitam nominis indicent, nulla ratione habita personae suffixorum. Ex hoc explicatur non solum finis Accusativi substantivorum in *-äs*, sed etiam singularis illa pronominum personalium cum suffixis compositio. Sic mutata suffixorum natura, nomen in statu suff. ante se postulat pronomen possessivum, quod reddi solet vel per Genitivum pronominum personalium, vel per pronomen adjectivum *as*, vel etiam ante objectum per Ablativum 1. pronominum personalium.

§. 59.

Suffixa linguae Syrjaenae sunt:

Suff. Sing.: 1. *ä l. m* (*um*, * *im*), 2. *d* (*yd*), 3. *s* (*ys*).

Suff. Plur.: 1. *num* (* *nym*) 2. *nyd*, 3. *nys*,

ex quibus primae personae sing. suffixum *m* casibus loci interioris (Illativo, Inessivo, Elativo) et Instructivo tantummodo additur; omnes ceteri casus suff. *ä* assumunt. Ab hoc schemate excipienda sunt suffixa Accusativi:

Sing.: 1. *äs*, 2. *tä*, 3. *sä*.

Plur.: 1. *numäs*, 2. *nydta* 1. *nydä*, 3. *nysä*,

quae immutato Nominativi fini affiguntur. Plurale Accusativi suffixum compositum est e suffixis Sing. atque Plur. numeri, unde apparet, suffixum non tantum *-äs*, sed etiam *-tä* et *-sä* pro finibus casuum valere.

Obs. 1. Heic repetenda, quae ad partem antea jam dicta sunt de mutatione litterarum in statu nominum suffixo (cfr. §. 8). In casu Illativo mutatur ante suffixum: *ä* finale in *a* (*purtä*, suff. *purtam*), in Instructivo convertuntur litterae finales et *ä* transit in *a* (*purtän*, suff. *purtnam*). Elativus quoque convertit litteras et in dialecto Ischemica mutatur *s* post *d* et *t* in *c*, *y* ante suffixum primae personae evadit *u*, et in omnibus personis praesigitur ante vocalem copulativam *j* consonans (*purtys*, suff. *purtcjam*). Ischemica quoque dialectus mutat in suffixo primae personae Plur. *y* in *u*. Inessivus ex analogia formationis Instructivi et Elativi non posset a Nominativo cum suffixo plurali separari (*purtyn* suff. *purtnum*), quam ob rem per statum suff. Illativi compensatur. Hoc loco adhuc animadvertendum Dativum, Adessivum, Ablativum suffixa inter truncum atque finem infigere. Caritivus et

Allativus suffixa tam in fine, quam in medio verbo assumere possunt, excepta prima persona Sing. Caritivi in regulari declinatione.

Obs. 2. Nomina, quae consonantem *l* vel aliam quandam litteram in Nominativo amiserunt, eam vero recipiunt in absoluta declinatione, in suffixis quoque recipiunt secundum eandem regulam.

Obs. 3. Ut in aliis linguis, ita etiam in Syrjaena suffixa summa cum pronominibus personalibus affinitate conjuncta sunt. Ita pronomen *me* parva differentia continet ambas litteras *m* et *ä*, quae suffixum 1:ae personae Sing. num. efficiunt. Suffixum 2:dae pers. *d* convenit cum pronome *te*; 3:ae personae *s* in *sya* agnoscitur. Illa maxime congruunt cum suffixis in lingua Lapponica: *m* (mon), *t* (don), *s* (son), minus cum Finnicis: *ni*, *si*, *nsa* l. *nsä*. In suffixis Plur. num: *num* (*nym*), *nyd*, *nys* caedem litterae in fine occurunt; *y* est littera auxiliaris et *n* additum ad statum suff. singularem et pluralem discernendum.

§. 60.

Ad doctrinam suffixorum clarius ante oculos ponendam, statuamus necesse est paradigmata quae-dam declinationis suffixivae: duo regularium, duo irregularium, duo in vocalem duoque in consonantem exeuntium nominum, scil. *purt*, *culter*, *kerka*, *domus*; *muös*, *vacca*, *nyy*, *virgo*.

I. Declinatio

Singu-

			1.
Nominativus.	Purt. Kerka.	Purt- Kerka-	ä
Accusativus.	Purt. Kerka.	Purt- Kerka-	äs
Instructivus.	Purtän. Kerkaän.	Purtna- Kerkana-	m
Caritivus.	Purtläg. Kerkatäg.	Purtläg- Kerkatäg-	ä
	Vel:	Vel:	
	Purtlägja. Kerkatägja.	Purtlägja- Kerkatägja-	ä
Dativus.	Purtly. Kerkaly.	Purt- Kerka-	äly
Allativus.	Purtlanj. Kerkalanj.	Purtlanj- Kerkalanj-	e *)
Illativus.	Purtä. Kerkaä.	Purtä- Kerka'a-	m
Adessivus.	Purflän. Kerkalän.	Purt- Kerka-	älän
Ablativus 1.	Purtlys. Kerkalys.	Purt- Kerka-	älys

*) Vel: Purtälanj, kerkaälänj, -ydlanj, -yslanj etc.

regularis.*laris.*

2.	3.	1.	2.	3.
yd	ys	num	nyd	nys.
tä	sä	numäs	nydtä l.	nydä
d	s	num	nyd	nys.
yd *)	ys	num	nyd	nys.
yd **)	ys	num	nyd	nys.
ydly	ysly	numly	nydly	nysly.
yd	ys	num	nyd	nys.
d	s	num	nyd	nys.
ydlän	yslän	numlän	nydlän	nyslän.
ydlys	yslys	numlys	nydlys	nyslys.

*) Vel: Purtydtäg, kerkaydtäd, -ystäg -numtäg etc.

**) Vel: Purtydtägja, kerkaydtägja, -ystägja, -numtägja etc.

Declinatio*Singu-*

			I.
Ablativus 2.	Purtsänj. Kerkasänj.	Purtsänj- Kerkasänj-	e
Elativus.	Purtsj. Kerkasj.	Purtsj- Kerkasj-	(u)m
Consecutivus.	Purtla. Kerkala.	Purt- Kerka-	äla
Prosecutivus.	Purtäd. Kerkaäd.	Purtäd- Kerkaäd-	ä
Terminativus.	Purtedzj. Kerkaedzj.	Purtedzj- Kerkaedzj-	e

Plu-

Nominativus.	Purtjas. Kerkajas.	Purtjas- Kerkajas-	ä
Accusativus.	Purtjas. Kerkajas.	Purtjas- Kerkajas-	äs
Instructivus.	Purtjasän. Kerkajasän.	Purtjasna- Kerkajasna-	m
Caritivus.	Purtjastäg. Kerkajastäg.	Purtjastäg- Kerkajastäg-	ä

regularis.*laris.*

2.	3.	1.	2.	3.
yd	ys	num	nyd	nys.
(y)d	(y)s	(u)num	(y)nyd	(y)nys.
yvla	ysla	numla	nyvla	nysla.
yd	ys	num	nyd	nys.
yd	ys	num	nyd	nys.

ralis.

yd	ys	num	nyd	nys.
tä	sä	numäs	nydtä l. nydä	nysä.
d	s	num	nyd	nys.
yd *)	ys	num	nyd	nys.

*) Vel: Purtjasydtag, kerkajasdyttag, -ystag, -numtag etc.

Declinatio*Plu-*

	Vel:	Vel:	1.
Dativus.	Purtjastägja.	Purtjastägja-	ä
	Kerkajastägja.	Kerkajastägja-	
Allativus.	Purtjasly.	Purtjas-	äly
	Kerkajasly.	Kerkajas-	
Illativus.	Purtjaslanj.	Purtjaslanj-	e *)
	Kerkajaslanj.	Kerkajaslanj-	
Adessivus.	Purtjasä'.	Purtjasa-	m
	Kerkajasä'.	Kerkajasa-	
Ablativus 1.	Purtjaslän.	Purtjas-	älän
	Kerkajaslän.	Kerkajas-	
Ablativus 2.	Purtjaslys.	Purtjas-	älys
	Kerkajaslys.	Kerkajas-	
Elativus.	Purtjassänj.	Purtjassänj-	e
	Kerkajassänj.	Kerkajassänj-	
Consecutivus.	Purtjasys.	Purtjasj-	(u)m
	Kerkajasys.	Kerkajasj-	
Prosecutivus.	Purtjasla.	Purtjas-	äla
	Kerkajasla.	Kerkajas-	
Terminativus.	Purtjasäd.	Purtjasäd-	ä
	Kerkajasäd.	Kerkajasäd-	
	Purtjasedzj.	Purtjasedzj-	e
	Kerkajasedzj.	Kerkajasedzj-	

*) Vel: Purtjasälänj, kerkajasälänj, -ydlanj, -yslanj etc.

regularis.*ralis.*

2.	3.	1.	2.	3.
yd *)	ys	num	nyd	nys.
ydlly	ysly	numly	nydly	nysly.
yd	ys	num	nyd	nys.
d	s	num	nyd	nys.
ydlän	yslän	numlän	nydlän	nyslän.
ydllys	yslys	numlys	nydlys	nyslys.
yd	ys	num	nyd	nys.
(y)d	(y)s	(u)num	(y)nyd	(y)nys.
ydlä	yslä	numlä	nydlä	nyslä.
yd	ys	num	nyd	nys.
yd	ys	num	nyd	nys.

*) Vel: Purtjasydtägja, kerkajasdytägja, -ystägja -numtägja etc.

II. Declinatio*Singu-*

			1.
Nominativus.	Nyy. Muös.	Nyl- Muösk-	ä
Accusativus.	Nyy. Muös.	Nyl- Muösk-	äs
Instructivus.	Nylän. Muöskän.	Nyyna- Muösna-	m
Caritivus.	Nyytäg. Muöstäg.	Nyytäg- Muöstäg-	ää *)
Dativus.	Nyyly. Muösly.	Nyl- Muösk-	äly
Allativus.	Nyylanj. Muöslanj.	Nyylanj- Muöslanj-	e **)
Illativus.	Nylä'. Muöskä'.	Nyla- Muöska-	m
Adessivus.	Nyylä. Muöslän.	Nyl- Muösk-	älän
Ablativus 1.	Nyylys Muöslys.	Nyl- Muösk-	älys
Ablativus 2.	Nyssänj. Muössänj.	Nyssänj- Muössänj-	e

*) Vel: Nylätäg, myöskätäg ; nyttägjaä, muöstägjaä ; ny-lätägja, muöskätägja, v. s.

**) Vel: Nylälanj, muöskälanj, -ydlanj, -yslanj etc.

irregularis.*laris.*

2.	3.	1.	2.	3.
yd	ys	nnyy- muös- } num	nyd	nys.
nnyy- muös-	lä	sä	numäs	nydtä l. nydä nysä.
d	s	num	nyd	nys.
yd	ys	num	nyd	nys.
ydlly	ysly	nnyy- muös- } numly	nydly	nysly.
yd	ys	num	nyd	nys.
d	s	num	nyd	nys.
ydlän	yslän	nnyy- muös- } numlän	nydlän	nyslän.
ydlys	yslys	nnyy- muös- } numlys	nydlys	nyslys.
yd	ys	num	nyd	nys.

Declinatio*Singu-*

			1.
Elativus.	Nyls. Muöskys.	Nyysj- Muösj-	{ (u)m
Consecutivus.	Nyla. Muösla.	Nyl- Muös-	{ äla
Prosecutivus.	Nyläd. Muöskäd.	Nyläd- Muöskäd-	{ ä
Terminativus.	Nyledzj. Muöskedzj.	Nyledzj- Muöskedzj-	{ e

Plu-

Nominativus.	Nyyjas. Muösjas.	Nyyjas- Muösjas-	{ ä
Accusativus.	Nyyjas. Muösjas.	Nyyjas- Muösjas-	{ äs
Instructivus.	Nyyjasän. Muösjasän.	Nyyjasna- Muösjasna-	{ m
Caritivus.	Nyyjastäg. Muösjastäg.	Nyyjastäg- Muösjastäg	{ ä *)
Dativus.	Nyyjasly. Muösjasly.	Nyyjas- Muösjas-	{ äly

*) Vel: Nyyjastägjaä, muösjastägjaä v. s.

irregularis.*laris.*

2.	3.	1.	2.	3.
(y)d	(y)s	(u)num	(y)nyd	(y)nys.
ydla	ysla	numla	nydla	nysla.
yd	ys	num	nyd	nys.
yd	ys	num	nyd	nys.

ralis

yd	ys	num	nyd	nys.
tä	sä	numäs	nydtä l. nydä	nysä.
d	s	num	nyd	nys.
yd	ys	num	nyd	nys.
ydly	ysly	numly	nydly	nysly.

Declinatio***Plu-***

			1.
Allativus.	Nyyjaslanj. Muösjaslanj.	Nyyjaslanj- Muösjaslanj-	e *)
Illativus.	Nyyjasä'. Muösjasä'.	Nyyjasä- Muösjasä-	m
Adessivus.	Nyyjaslän. Muösjaslän.	Nyyjas- Muösjas-	älän
Ablativus 1.	Nyyjaslys. Muösjaslys.	Nyyjas- Muösjas-	älys
Ablativus 2.	Nyyjassänj. Muösjassänj.	Nyyjassänj- Muösjassänj-	e
Elativus.	Nyyjasys. Muösjasys.	Nyyjasj- Muösjasj-	(u)m
Consecutivus.	Nyyjasla. Muösjasla.	Nyyjas- Muösjas-	äla
Prosecutivus.	Nyyjasäd. Muösjasäd.	Nyyjasäd- Muösjasäd-	ä
Terminativus.	Nyyjasedzj. Muösjasedzj.	Nyyjasedzj- Muösjasedzj-	e

*) Vel: Nyyjasälänj, muösjasälanj, -ydlanj, -yslanj etc.

irregularis.*ralis.*

2.	3.	1.	2.	3.
yd	ys	num	nyd	nys.
d	s	num	nyd	nys.
ydlän	yslän	numlän	nydlän	nyslän.
ydllys	yslyss	numlyss	nydllys	nyslyss.
yd	ys	num	nyd	nys.
(y)d	(y)s	(u)num	(y)nyd	(y)nys.
yvla	ysla	numla	nyvla	nysla.
yd	ys	num	nyd	nys.
yd	ys	num	nyd	nys.

§. 61.

*Pronomen reflexivum: as, suus, primitus sine dubio substantivum fuit et adhuc in statu suffixivo pro substantivo valet. In eo vero adjectivam prodit naturam, quod ante substantiva non declinetur. Ubi aliquando sine substantivo occurrit, regulariter selectitur in Singulari; Pluralis *asjas* nunquam usurpatur. In dialecto Ishemica ipsum *as* rarius obvenit, quam forma illius suffixiva: *acjum*, *acjyd*, *acjys*, cuius declinatio in Singulari irregularis est. Pluralis in *-jas* ne in statu quidem suffixivo usurpatur, sed Singularis *as* cum suffixo plur. format ejus Pluralem.*

Singularis.

	1.	2.	3.
Nom.	<i>Acjum.</i>	<i>Acjyd.</i>	<i>Acjys.</i>
Accus.	<i>Acjumäs.</i>	<i>Astää.</i>	<i>Assä.</i>
Instr.	<i>Asnam.</i>	<i>Asnad.</i>	<i>Asnas.</i>
Carit.	<i>Astäägä</i> *).	<i>Astäägyd.</i>	<i>Astäägys.</i>
Dat.	<i>Aslum.</i>	<i>Aslyd.</i>	<i>Aslys.</i>
Allat.	<i>Aslanje.</i>	<i>Aslanjyd.</i>	<i>Aslanjys.</i>
Illat. et Iness.	<i>Asam.</i>	<i>Asad.</i>	<i>Asas.</i>
Adess.	<i>Aslam.</i>	<i>Aslad.</i>	<i>Aslas.</i>
Abl. 1. et Elat.	<i>Assjum.</i>	<i>Assjyd.</i>	<i>Assjys.</i>
Abl. 2.	<i>Assänje.</i>	<i>Assänjyd.</i>	<i>Assänjys.</i>
Consec.	(<i>Aslaää.</i>	<i>Aslayd.</i>	<i>Aslays</i>).
Prosec.	<i>Asädää.</i>	<i>Asädyd</i>	<i>Asädys.</i>
Term.	<i>Asedzje.</i>	<i>Asedzjyd.</i>	<i>Asedzjys.</i>

*) Cfr. §. 60.

Pluralis.

	1.	2.	3.
Nom.	<i>Asnum.</i>	<i>Asnyd.</i>	<i>Asnys.</i>
Aeeus.	<i>Asnumüs.</i>	<i>Asnydtä 1. dä.</i>	<i>Asnysä.</i>
Instr.	<i>Asnanum.</i>	<i>Asnanyd.</i>	<i>Asnanys.</i>
Carit.	<i>Aslägnüm *).</i>	<i>Astägnyd.</i>	<i>Astägnys.</i>
Dat.	<i>Aslunum.</i>	<i>Aslynyd.</i>	<i>Aslynys.</i>
Allat.	<i>Aslanjnum.</i>	<i>Aslanjnyd.</i>	<i>Aslanjny.</i>
Illat.	<i>Asanum.</i>	<i>Asanyd.</i>	<i>Asanys.</i>
Adess.	<i>Aslanum.</i>	<i>Aslanyd.</i>	<i>Aslanys.</i>
Abl. 1 et Elat.	<i>Assjunum.</i>	<i>Assjynyd.</i>	<i>Assjynys.</i>
Abl. 2	<i>Assänjnum.</i>	<i>Assänjnyd.</i>	<i>Assänjny.</i>
Consec.	<i>(Aslanum.</i>	<i>Aslanyd.</i>	<i>Aslanys).</i>
Prosec.	<i>Asädnüm.</i>	<i>Asädnýd.</i>	<i>Asädnys.</i>
Term.	<i>Asedzjnum.</i>	<i>Asedzjnyd.</i>	<i>Asedzjny.</i>

Obs. Nominativus verisimile ortus est e forma quadam alia, continente litteram *t* (*ats, atse, Fion. ilse*). Accusativus cum suffixo primae personae formatur in Sing. num. c Nominativo *acjum*, sed cum suffixis aliarum personarum e radice *as*. Dativus, Adessivus et Consecutivus suffixa heic non truno, sed finibus adlicant, tam in Sing., quam Plur. numero. Adessivus vero, qui rarissime usitatur, *ä* in *a* commutat et *n* finale abjicit.

§. 62.

Pronomina demonstrativa in lingua Syrjaena sunt: *sya*, *ille*, *simul* ut pronomen personale usitatum

*.) Cfr. §. 60.

(v. s.), *etaja* vel *taja*, iste. In aliis dialectis adhuc invenitur pronomen demonstrativum *ezda*, iste, Plur. *ezdajas*, quod etiam in dialecto Ishemica notum est, sed tantum in Nominativo aliquando usitatum. Pronomen: *etaja*, Plur. *enaja* suos format casus ab *eta*, Plur. *ena*, quae quoque in Genitivo usurpantur. *Taja*, Plurali carens, in Singulari declinatur, ut *etaja*, i. e. supposito Nominativo *ta*.

Singularis.

Nom.	<i>Etaja.</i>
Gen.	<i>Eta, -län -lys.</i>
Accus.	<i>Etaje.</i>
Instr.	<i>Etaän.</i>
Carit.	<i>Etatäg.</i>
Dat.	<i>Etaly.</i>
Allat.	<i>Etalanj.</i>
Illat.	<i>Etaä'.</i>
Adess.	<i>Etalän.</i>
Iness.	<i>Etayn.</i>
Abl. 1.	<i>Etalys.</i>
Abl. 2.	<i>Etasänj.</i>
Elat.	<i>Etays.</i>
Consec.	<i>Etala.</i>
Prosec.	<i>Etaäd.</i>
Term.	<i>Etaedzj.</i>

Pluralis.

Nom.	<i>Enaja.</i>
Gen.	<i>Ena, -län -lys.</i>
Accus.	<i>Enaje.</i>
Instr.	<i>Enaän.</i>
Carit.	<i>Enatäg.</i>
Dat.	<i>Enaly.</i>
Allat.	<i>Enalanj.</i>
Illat.	<i>Enaä'.</i>
Adess.	<i>Enalän.</i>
Iness.	<i>Enayn.</i>
Abl. 1.	<i>Enalys.</i>
Abl. 2.	<i>Enasänj.</i>
Elat.	<i>Enays.</i>
Consec.	<i>Enala.</i>
Prosec.	<i>Enaäd.</i>
Term.	<i>Enaedzj.</i>

§. 63.

Pronomen interrogativum et relativum: *kod* vel

kody, quis, qui, Finn. *ku*, *kuka*, Lapp. *gi*, *gutte*, declinatur regulariter in Sing. et Plur. numero. Pron. interrogativum: *myj*, quid, Finn. *mi*, regulari etiam in Sing. utitur declinatione, sed Pluralis mutuatur casus a pronomine: *kod*.

Singularis.

Nom.	<i>Kod</i> , <i>kody</i> .	Nom.	<i>Myi</i> .
Gen.	<i>Kodlän</i> , <i>kodlys</i> .	Gen.	<i>Myilän</i> , <i>myilys</i> .
Accus.	<i>Kodäs</i> .	Accus.	<i>Myi</i> .
Instr.	<i>Kodän</i> .	Instr.	<i>Myijen</i> .
Carit.	<i>Kodtäg</i> .	Carit.	<i>Myitäg</i> .
Dat.	<i>Kodly</i> .	Dat.	<i>Myily</i> .
Allat.	<i>Kodlanj</i> .	Allat.	<i>Myilanj</i> .
Illat.	<i>Kodä</i> .	Illat.	<i>Myije</i> .
Adess.	<i>Kodordyn</i> .	Adess.	<i>Myilän</i> .
Iness.	<i>Kodyn</i> .	Iness.	<i>Myijyn</i> .
Ablat. 1.	<i>Kodlys</i> .	Ablat. 1.	<i>Myilys</i> .
Ablat. 2.	<i>Kodsänj</i>	Ablat. 2.	<i>Myisänj</i> .
Elat.	<i>Kodys</i> .	Elat.	<i>Myijys</i> .
Consec.	<i>Kodla</i> .	Consec.	<i>Myila</i> l. <i>myilja</i> .
Prosec.	<i>Kodäd</i> .	Prosec.	<i>Myijed</i> .
Term.	<i>Kodedzj</i> .	Term.	<i>Myijedzj</i> .

Pluralis.

Nom.	<i>Kodjas</i> .
Gen.	<i>Kodjaslä</i> l. <i>-lys</i> .

Accus.	<i>Kodjasäs.</i>
Instr.	<i>Kodjasän.</i>
Carit.	<i>Kodjastäg.</i>
Dat.	<i>Kodjasly.</i>
Allat.	<i>Kodjaslanj.</i>
Illat.	<i>Kodjasä?</i>
Adess.	<i>Kodjasordyn.</i>
Iness.	<i>Kodjasyn.</i>
Ablat. 1.	<i>Kodjaslys.</i>
Ablat. 2.	<i>Kodjassänj.</i>
Elat.	<i>Kodjasys.</i>
Consec.	<i>Kodjasla.</i>
Prosec.	<i>Kodjasäd.</i>
Term.	<i>Kodjasedzj.</i>

§. 64.

Vel derivatione, vel compositione orta sunt pronomina adjectiva: *kuc'äm* qualis, Finn. *kummoinen*; *sec'äm* talis, Finn. *semmoinen*; *tac'äm*, talis, Finn. *tämmöinen*; *kodkü* vel *kodykä*, aliquis, Finn. *joku*, (pr. *kuka*); *myikä*, aliquid, Finn. *mikä*; *kuc'ämkä*, qualiscunque (какий ли); *tac'ämkü* et *sec'ämkü*, taliscunque, (шакий ли). Quae omnia regulariter fluctuntur in utroque numero, si modo observetur, pronomina indefinita, cum particula *kä* (* *kö*, Finn. *ko*, *kö*), nonne (ли), composita, eandem finibus casuum ubique affigere, ex. gr. *kodkä*, Iness. *kodynä*, Elat. *kodyskä*, Plur. *kodjaskä*, ut in lingua Finnica: *kuka*, *kunka*, *kullenka*, Plur. *kutka* e. s. p.

§. 65.

VI Russicae linguae sese formaverunt pronomina negativa: *nikod*, nemo (нишио), *nikuc'äm*, nullus, *ninäm*, nihil (ничто) e. s. p. Lingua Syrjaena, ut aliae Finnicae linguae, ex indole sua genuina omnem negationem forma verbi negativa exprimit.

IV. De Verbo.

§. 66.

Ut lingua Syrjaena abundat copia determinacionum nominalium (easuum), ita e contrario eget verbalium (temporum atque modorum). Tempora quidem in aliis Finnieis linguis, ut in Syrjaena, sunt duo tantum: **Praesens** et **Praeteritum**, ex quibus Praesens simul valet pro **Futuro** et **Praeteritum** pro **Imperfecto**, **Perfecto** atque **Plusquamperfcto**. Sed Syrjaena lingua earet quoque modis **Conjunetivi** atque **Optativi**, quibus utuntur et Finnia et Lapponia lingua. In hac re vis linguae Russiae, eodem modo constructae, in suspicionem cadat necesse est. Modus **Gerundii** et nonnulla nomina verbalia servata sunt. Adest quoque conjugatio negativa, omnibus Finnicis linguis propria. Passiva conjugationis forma e lingua Russica emanat. De eetero lingua Syrjaena etiam multis gaudet verborum formis, quibus aliquando tempora, modi, ipsaque forma passiva compensantur.

§. 67.

Quod attinet ad formationem temporum, modorum et variarum verbi formarum, haec in universum animadvertisenda sunt:

1. Ut nomina, ita etiam verba truncum suum decurtare studuerunt, ultimam ejus vocalem abjicientes.

2. Ubique abjecta est trunci vocalis, in *y* mutata, cum concursus plurium consonantium illam non necessario postulant. Verba in *-ala* contrahendo truncum decurtant.

3. In prima et tertia pers. Sing. Praesentis atque Praeteriti Indicativi ultima quidem vocalis servatur, sed elapsa est consona finalis, qua elisione vocalis e trunco se jungitur, finem jam constituens. Vocalis ista ad truncum referri nequit, quoniam non verbi vis, sed personae determinatio ab ea pendet.

4. Cum igitur ultima trunci vocalis vel abjicitur, vel cum praecedenti contrahitur, vel solam personalem determinationem efficit, sequitur eam omnino ad truncum non pertinere, ratione habita hodiernae linguae faciei.

5. Ubi vero de formatione temporum agitur, vocalis ad truncum retrahenda est, quoniam omnia tempora omnesque verbi formae primitus orta sunt e

trunco in vocalem exeunte, quem adhuc servat prima pers. Sing. Praesentis Ind. Aet. Ex hoc trunco facile adhuc derivantur tempora: Praesens et Praeteritum Indieativi Aet., Particulum Pass., nomina verba, porro: forma verbi frequentativa in *-ala* et effectiva in *-äla*.

6. Gravissimi momenti in formatione verborum est secunda persona Imperativi; eum illa enim congrunt in derivatione Infinitivus, Particulum Aet., Praes. et Praet. Gerundii, verbum negativum, forma verbi passiva, verba momentanea et diminutiva in *-la*, quae omnia ultimam trunci vocalem in *y* mutant et, ubi fieri potest, abjiciunt.

7. Primaria igitur terminatio Imperativi fuit *y*, jam occurrens tantummodo in verbis, quae duas consonantes in fine continent, ex. gr. *töz'da*, doleo, Imperat. *töz'dy*; *sjöktä*, gravor, Imperat. *sjöktý*. Ita etiam Infinit. *sjöktyny*, Part. Aet. *sjöktysj*, Gerund. *sjöktyg* e. s. p. Qui si verbi finis vel unam consonantem continet, vel in diphthongum exit, eliditur *y*, ex. gr. *kara*, facio, Imp. *kar*; *muna*, eo, Imp. *mun*; *jua*, bibo, Imp. *ju*; *voa* venio, Imp. *vo*. Convenienter: Infinit. *karny*, *juny*, Pract. Gerund. *karmys*, *jumys*, e. s. p. Ita etiam *y* aliquando eliditur, si ex duabus in fine trunci concurrentibus litteris altera fuerit liquida, vel si *j* sibilantibus succederit, ex. gr. *tyrta*, compleo, Imp. *tyrt*; *uzja*, cedo, Imp. *uzj*; *vid-*

zja, custodio, Imp. *widzj*. Verba in *-sta* amittunt vocalem in secunda pers. Imperat. et abjiciunt in dialecto Ishemica ultimam consonantem *t*, ex. gr. *bosla*, capio, Imp. *bos*, Inf. *bosny* e. s. p. Frequentativa in *-ala* contrahunt adhuc Imperativi *-aly* in *oo* (v. § 12), ex. gr. *vistala*, dico, Imp. *vistoo*, Inf. *vistoony*, Praet. Ger. *wistoomys* e. s. p. Formatio ceterorum et cum Praesenti Ind. et cum Imperativo affinium temporum infra explicanda est.

§. 68.

Verba ab aliis dividuntur in duas conjugationes, quarum altera duram, altera mollem vocalem in fine trunci continet. Quae divisio non quadrat ad dialectum Ishemicam, ubi ultima trunci vocalis semper dura est, scl. littera *a*. Heic tota differentia verborum conjugandorum pendet ab elisione illa et contractione vocalium, de quibus in praecedenti §. obs. 7. commemoravimus. Conjugationes igitur duae sunt, aequae ac declinationes: altera ultimam trunci vocalem servat per omnes flexiones: altera illam negligit. Secunda conjugatio tres species amplectitur: 1:o Verba unam in fine continentia consonam, quarum ultima vocalis abjicitur; 2:o Monosyllabica in diphthongum exeuntia, quae non modo elidunt ultimam vocalem, sed etiam ubique *oä* contrahunt in *oo*; 3:o Verba frequentativa in *-ala*, contrahentia *aly* in *oo*.

§. 69.

In verbo adhuc observanda sunt: 1:o forma activa, 2:o forma passiva, 3:o conjugatio negativa, 4:o verbum auxiliare, 5:o varia genera verbi derivati; quae omnia sub diversis capitibus tractanda sunt.

A. Activa conjugationis forma.

Typus conjugationum.

1. *Conjugatio.*

2. *Conjugatio.*

Indicativus.

	1.	2.	3.
--	----	----	----

Praesens.

Sing.	1.	-a.	
	2.	-an.	
	3.	-ä (* ö) l. as.	
Plur.	1.	-am.	
	2.	-annyd.	
	3.	-änys l. asnys (* öny l. önys).	

Praeteritum.

Sing.	1.	-i (* y).	
	2.	-in (* yn).	
	3.	-i l. is (* y l. ys).	
Plur.	1.	-im (* ym).	
	2.	-imy d (* ynn yd).	
	3.	-inys l. isnys (* yny l. ysny).	

Imperativus.

		1.	2.	3.
Sing.	1. <i>Med</i> -a.			
	2. -y.		<i>Cons.</i>	<i>Vocal.</i>
	3. <i>Med</i> -ä (* ö) l. as.			oo
Plur.	1. <i>Med</i> -am.			
	2. -ä (* ö).			
	3. <i>Med</i> -änys l. asnys (* öny asny, önys).			

Infinitivus.

Nominat.	-yny.	-ny.	-ny.	-oony.
Terminat.	-ytedzj.	-tedzj.	-tedzj.	-ootedzj.

Participium.

Activum.	-ysj.			
Passivum.	-äma (* oma).			

Gerundium.**Praesens.**

Nominat.	-yg.			
Instruct.	-ygän (* ygön).			

Praeteritum.

Nom.	-ymys (* ymyst).	-mys.	-mys.	-oomys.
Instr.	-ymystän (* ymystön).	-mystän.	-mystän.	-oomystän.

Nomina verbalia.

Actum -äm (* öm).

Agendum -an.

Paradigmata.

Indicativus.

Praesens.

I.

II:1.

Sing. 1. *Ysta, mitto.*

Sing. 1. *Kara.*

2. *Ystan.*

2. *Karan.*

3. *Ystä l. ystas.*

3. *Karä l. karas.*

Plur. 1. *Ystam.*

Plur. 1. *Karam.*

2. *Ystannyd.*

2. *Karanneyd.*

3. *Ystänys l. ystasnys.*

3. *Karänys l. karasnys.*

Praeteritum.

Sing. 1. *Ysti.*

Sing. 1. *Kari.*

2. *Ystin.*

2. *Karin.*

3. (*Ysti*) *l. ystis.*

3. (*Kari*) *l. karis.*

Plur. 1. *Ystim.*

Plur. 1. *Karim.*

2. *Ystinnyd.*

2. *Karinneyd.*

3. *Ystinyd l. ystisnys.*

3. (*Karinys*) *l. karisnys.*

Imperativus.

Sing. 1. *Med ysta.*

Sing. 1. *Med kara.*

2. *Ysty.*

2. *Kar.*

3. *Med ystä l. ystas.*

3. *Med karä l. karas.*

Plur.	1. <i>Med ystam.</i>
	2. <i>Ystä.</i>
	3. <i>Med ystänys l. ystasnys.</i>

Plur.	1. <i>Med karam.</i>
	2. <i>Karä.</i>
	3. <i>Med karänys l. ka- rasnys.</i>

Infinitivus.

Nom.	<i>Ystyry.</i>
Term.	<i>Ystytedzj.</i>

Nom.	<i>Karny.</i>
Term.	<i>Kartedzj.</i>

Participium.

Act.	<i>Ystysj.</i>
Pass.	<i>Ystäma.</i>

Act.	<i>Karysj.</i>
Pass.	<i>Karıma.</i>

Gerundium.

Nom.	<i>Ystyq.</i>
Instr.	<i>Ystygän.</i>

Nom.	<i>Karyg.</i>
Instr.	<i>Karygän.</i>

Praeteritum.

Nom.	<i>Ystymys.</i>
Instr.	<i>Ystymystän.</i>

Nom.	<i>Karmys.</i>
Instr.	<i>Karmystän.</i>

Nomina verbalia.

Aetum.	<i>Ystäm.</i>
Agendum.	<i>Ystan.</i>

Actum.	<i>Karäm.</i>
Agendum.	<i>Karan.</i>

Indicativus.**Praesens.**

II:2

Sing. 1. *Voa, venio.*2. *Voan.*3. *Voä, woo l. woas.*Plur. 1. *Voam.*2. *Voannyd.*3. *Voänys, voonyys l.**voasnys.*

II:3

Sing. 1. *Vistala, dico.*2. *Vistalan.*3. *Vistalä l. vistalas.*Plur. 1. *Vistalam.*2. *Vistalannyd.*3. *Vistalänys l. vistalasnys.***Praeteritum.**Sing. 1. *Voji.*2. *Vojin.*3. (*Voji*) l. *vojis.*Plur. 1. *Vojim.*2. *Vojinnyd.*3. (*Vojinys*) l. *vojisnys.*Sing. 1. *Vistali.*2. *Vistalin.*3. *Vistali l. vistalis.*Plur. 1. *Vistalim.*2. *Vistalinnyd.*3. *Vistalinys l. vistalisnys.***Imperativus.**Sing. 1. *Med voa.*2. *Vo.*3. *Med voä, voo l. voas.*Plur. 1. *Med voam.*2. *Voä l. voo.*3. *Med voänys, voonyys
l. voasnys.*Sing. 1. *Med vistala.*2. *Vistoo.*3. *Med vistalä l. vistalas.*Plur. 1. *Med vistalam.*2. *Vistalä.*3. *Med vistalänys l. vi-
stalasnys.***Infinitivus.**Nom. *Vony.*Nom. *Vistoony.*Term. *Votedzj.*Term. *Vistootedzj.*

Participium.

Act. *Voysj.*
 Pass. *Voäma.*

Act. *Vistalysj.*
 Pass. *Vistäläma.*

Gerundium.**Praesens.**

Nom. *Voyg.*
 Instr. *Voygän.*

Nom. *Vistalyg.*
 Instr. *Vistalygän.*

Praeteritum.

Nom. *Vomys.*
 Instr. *Vomystän.*

Nom. *Vistoomys.*
 Instr. *Vistoomystän.*

Nomina verba.

Actum. *Voäm.*
 Agendum. *Voan.*

Actum. *Vistaläm.*
 Agendum. *Vistalan.*

§. 69.

